



Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...

In II. III. IV. Præceptum De Juramentis, Votis, Observatione Festorum, & Jejuniorum, ac obligatione Pietatis & Observantiæ erga Majores: Charitate & Misericordia erga proximum. Pars III.

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1713

Caput IV. De Observatione Festorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60022)

CAPUT IV.

In
**TERTIUM PRÆCEPTUM
 DECALOGI,**
De Observatione Festorum.

TEXTUS

Memento, ut diem Sabbathi Sanctifices.

Exodi 20.

EXPLICATIO.

PRæceptum hoc tertium adhuc ordinans hominem ad Deum ultimum finem suum, partim Divinum, partim naturale est.

- I** 1. Hoc præceptum, quatenus Divinum, naturale, ac morale est, substantialiter præcipit, Deum aliquo tempore, & aliquo tandem cultu esse colendum. Quod sanè ipsa ratio naturalis, seu lumen naturæ homini inditum dicitur, adeò ut nulla unquam Gens fuerit tam barbara, quæ non cognoverit Deum vel Deos suos aliquando & aliquo cultu esse colendos; ac proinde ipsum illud præceptum naturale tria importat. Primò, ut aliquis dies colatur, seu ad colendum DEUM applicet ut. Secundò, ut aliquo cultu ac opere positivo illi DEUS colatur, & honoretur. Et consequenter, Tertio, ut eo die ab operibus profanis seu servilibus cessetur. Quæ omnia clarè indicat ipsum

verbum (*sanctifices*) quod non tantum cessationem otiosam ab omni opere designat, sed etiam cultum aliquem positivum Sanctificationis Dei importat; ac proinde hoc præceptum in terminis quidem affirmativum est, præcipiens diem certum in DEI cultum sanctificandum, vel potius ipsum die sibi sanctificato colendum, implicite simul negativum est, prohibens illum diem violare vel profanare: atque hac ratione hoc præceptum semper idem & immutatum mansit in veteri & nova lege.

II. Idem præceptum tertium, quatenus positivum est, & cæremoniale solum determinat, & diem certum sanctificandum, qui fuit dies Sabbathi, seu septimus hebdomadæ institutus ob memoriam absolutæ Creationis omnium rerum, quo nimirum die *requievit Deus ab omni opere, quod patrârat, eique benedixit*, Genesis. I. Et modum, quo nimirum DEUS die septimo colendus erat in Veteri Lege, qui varius erat per varias leges descriptus, præsertim in Exodo. Et hac ratione hoc Præceptum, quatenus hic positivum & cæremoniale erat, una cum Veteri Lege cessavit, & in Nova Lege gratiæ imutatum est, tam quoad diem, quam quoad modum Deum colendi.

III. Loco diei Sabbathi in Nova Lege ad Deum colendum institutus est dies Dominica, idque ipso jure divino, ut colligitur ex Scriptura, & certissima constat traditione Apostolica & Ecclesiastica; nam primò D. Joannes Apoc. I. testatur visiones suas initium sumpsisse die Dominicâ propter honorem DEI: *Fui in Spiritu in Dominico*

Ec 3

die,

die, & audiui vocem magnam post me, tanquam tubam dicentis, quod vias, scribe. Secundo. Patres dicuntur fideles consensisse ad divina Officia Verbum DEI & fractionem panis, Una Sabbathi id est, phrasi hebraea, prima die post Sabbathum Ut Actorum 20. *Unâ autem Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat eum eis.* Et 1. ad Cor. 16. Hortatur Paulus, ut populus collectas eleemosynarum faciat Sabbathi: quo nimirum conveniebant ad divina Mysteria. Tertiò. Idem latè docent SS. Patres quos videre potes apud *March. tom. 2. Tr. 4. c. 1. q. 1. initio.* Unum & alterum exscribo. Clemens I. Lib. 2. constitutionum Apostolicarum c. 63. dicit. *Dominico die diligentius convenite, iam dem DEO laturi, qui per JESUM cuncta condidit, & illum ad nos misit, atque mori permisit, & à mortuis excitavit.* Et lib. 5. c. 20. *Festum diem agite, quo JESUS à mortuis est excitatus, id quod sit vobis legitimum solemnèque in perpetuum, &c.*

4 IV. Quoad modum colendi Diem Dominicum loco caeremoniarum Sabbathi, in Nova Lege jure humano Ecclesiastico multa sunt ordinata opera ad cultum divinum, De quibus Clemens I. Lib. 2. Constitut. Apost. cap. 63. *Quam excusationem afferre potest Deo, qui in hoc die non convenit ad audiendum salutarem de Resurrectione sermonem: in quo tres orationes stantes concipimus, in memoriam illius, qui tertio die resurrexit. In quo Prophetarum lectio habetur, & Evangelii prædicatio, & Sacrificii oblatio; atque Sacri Cibi dispensatio.* Et Justinus martyr. Apol. 2. pro Christianis ad Antonium

Pium loquens de die Solis Inquit: *Illo die Urbanorū ac Rusticorum catus fiunt, ubi Apostolorum & Prophetarum littera, quoad fieri potest preliguntur. Deinde cessante Lectore Præpositus facit verba adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum invitans. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus. Quibus finitis profertur panis, vinum & aqua, scilicet ad Sacrificium & Communionem.* Ex quibus liquet olim ad cultum Dei & solemnitatem Diei Dominicæ illa opera usitata fuisse, scilicet sacras Lectiones, & Prædicationes, Orationes communes, Missarum solemnias, & sacram Communionem, utique cum feriis religiosis. De quibus omnibus etiam frequenter loquitur *Concil. Trid. præsertim Sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missarum. Item Sess. 24. & alibi.* Unde Quæstio est ad quidnam teneantur fideles die Dominica ex tertio Præcepto, ut modò in Nova Lege determinato: an scilicet ad omnia illa opera olim in Constitutionibus Apostolicis, & antiquis Ecclesiæ consuetudinibus præscripta, utpote ad Missam, Concionem, Communionem, Orationes publicas, Vesperas, &c.

Resolutio III. Præcepti.

Tertio Præcepto Decalogi modò in Nova Lege quoad diem & modum Deum colendi ab Ecclesiâ determinato, omnes Christi fideles impedimento cessante legitimo, obligantur sub mortali ad audiendam Missam, & feriandum seu abstinendum ab operibus servilibus (horum obligatio mox probabitur, & declarabitur distinctis sectionibus)

nibus) non item ad audiendam Concionem, Sacram Communionem, vel Orationes alias publicas. Ad hæc enim neminem obligari per se Die Dominico, inde sufficienter probatur, quod nullum existat præceptum obligans fideles in conscientia. Quod enim de Concione audienda decernit Concilium Trid. Sess. 24. c. 4. de Reformatione dicens: *Moneátque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochia sua interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei; ly teneri non accipitur strictè per modum præcepti obligantis per se ad audiendum Verbum Dei omnibus Diebus Dominicis, sed accommodè per respectum ad necessitatem cujusque. Utpotè quia quilibet fidelis jure divino naturali obligatur ad acquirendam sibi notitiam necessariorum Fidei & salutis suæ, utique tenetur interdum audire Verbum Dei, quando commodè potest, & offertur occasio, dum scilicet prædicatur Diebus Dominicis & Festis. Unde aliquis conscius, ruditate suæ in rebus necessariis ad Fidem & salutem suam, & tamen ordinariè negligens Conciones audire, peccabit quidem mortaliter, non tamen præcisè ratione illius statuti Ecclesiæ, sed principaliter ratione præcepti divini naturalis ex virtute Fidei comparandi sibi scientiam necessariam, cujus occasionem negligit, negligendo Conciones. Quoad Sacram Communionem cum præceptum Ecclesiæ semel in anno pro tempore Paschali obliget, certum est, non obligari singulis Dominicis, Quoad Vesperas, aliasque Orationes publicas nullum præ-*

ceptum, sed consuetudines piæ sunt, meritò urgenda à Parochis, præsertim pro juventute alioquin otiosâ &c.

Eâdem porro ratione, qua de Dominicis, etiam 6
dicendum est de Festis quibusdam præceptis sive
universalibus totius Ecclesiæ, sive Diocesalibus,
triplici tamen adverso discrimine. 1. Diei Domi-
nici institutio fundamentaliter est Juris divini natu-
ralis in Decalogo, & formaliter est Juris divini po-
sitivi ex traditione Apostolica, ut supra numero 5,
indicatum est: Festorum autem institutio & obser-
vantia est ex mero Jure positivo humano Ecclesia-
stico. Et hinc 2. Ecclesia potest abolere omnia Fe-
sta, eorùmque observantiam pro libitu mutare:
non item Dominicas. Unde ulterius, 3. Cum
quis Missam non audit die Festo, non tenetur ad
alium cultum Dei positivum, sicut teneri Die Do-
minica probabimus infra in fine Sect. 2.

SECTIO I.

Missa audienda Obligatio.

SUMMARIUM.

7. Tertio Præcepto modò ab Ecclesia determinato obligatur
quibis fidelis adultus sub mortali audire Sacrum.
8. Exhibendo præsentiam moralem.
9. Usque ad n. 13. quando quis censeatur moraliter præ-
sens, quando non?
13. Non sufficit præsentia materialis tantùm, & corporea,
sed
14. Requiritur præsentia religiosa, & devotâ.
15. Usque ad n. 19. Qualis requiratur intentio, & attentio
ad audiendam Missam?

Et s

Audientia

19. *Audienda est Missa integra.*20. *Uique ad n. 23. Quando quis censetur omittere partem notabilem, idèoque peccare mortaliter, quando non?*23. *Non satisfacit præcepto, qui duas Missæ partes simul à diversis celebrantibus audit.*24. *Quando, & quo loco audienda sit Missa?*

ASSERTIO I.

7 **T**ertio præcepto modò determinato ab Ecclesiâ obligatur omnis homo fidelis adultus sub mortali audire Sacrum, exhibendo præsentiam moralem religiosam ad Missam integram, quamcunque tandem.

Quoad obligationem sub mortali consentiunt omnes Doctores Catholici (contradicente solo, quem sciam, nostro Angelo V. feria numero 42. Ubi etiam perperam censet Sacram Concionem præferendam esse Missæ, si utraque audiri non possit) Estque sententia modò damnata n. 52. sub Innocentio XI. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Et probatur imprimis ex traditione Apostolica, uti refert Clemens I. supra citatus. Ubi ait: *Quam excusationem afferre potest Deo, qui hoc die non convenit.* Deinde ex consuetudine & consensu totius antiquitatis Ecclesiæ. Et definitur in Concilio Agathensi c. 31. relato de consecratione. dist. 1. cap. *Missas. Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat; quod si fecerint, publice ab Episcopo confundantur.* Estque hoc præceptum & mandatum receptum usu Eccle-

Ecclesiae universalis absque ulla contradictione. *Ratio est:* quia praecipuum est de re gravi ex ob-
jecto, nempe debitissimum naturali jure divinum cul-
tum concernente, unde licet hoc praecipuum de
audiendo Sacro die Dominico, formaliter & expli-
cite sit Ecclesiasticum tantum, fundamentaliter ta-
men & implicite est de jure divino naturali, quo
omnis homo adultus tenetur aliquo actu positivo
Deum quandoque colere, quod de se indetermina-
tum ex institutione Christi, Ecclesia deierminavit
quoad modum & tempus, scilicet ad audiendum
Sacrum die Dominico, ut recte notat *Fillucius*
Tract. 27. c. 8. Caterum adulti tantum hoc pra-
cepto obligari possunt, & incipiunt, quamprimum
ad eum usum rationis perveniunt, ut bonum a ma-
lo discernere, Deum suum agnoscere, vel alias
mortaliter peccare possunt: antea enim, sicut pec-
cati, ita etiam obligationis sub peccato incapaces
sunt, juxta communem doctrinam in materia de le-
gibus. Jam vero termini praecipui in assertionem
positi explicandi sunt.

§. I.

Exhibendo praesentiam moralem.

Ad satisfaciendum praecipuo audiendi Sacrum 8
requiritur imprimis praesentia moralis, ut ni-
mirum quis moraliter aestimando rem, vere cen-
seatur praesens assistere & audire Sacrum, ut nimi-
rum corpore sit vel intra Ecclesiam, vel in proxi-
mo loco tali, ex quo judicatur moraliter posse vi-
dere, audire, vel aliquo modo percipere: imò
nec requiritur, ut sacrificantem, videas, vel au-
dias,

dias, modò ita præsens sis moraliter, ut ex signis quibusdam colligere possis, quid in Sacrificio agatur. Hinc cæci & surdi non excusantur, sed tenentur, & censentur Missæ interesse moraliter, si sint in loco, unde aliàs possent videre, audire, vel advertere celebrantem, si earum potentiarum usu gauderent. *Comm. Doct. Navar. c. 21. n. 8. Tol. lib. 6. c. 6. Laym. l. 4. Tract. 7. c. 3. Diana Part. 4. T. 4. Resol. 154.* Atque hinc inferendum

9 I. Moraliter præsens & satisfacere censetur etiam extra Ecclesiam vel locum Sacri existens, ut in atrio exteriori Ecclesiæ, in Cancellis, Oratoriis vel Cameris annexis Ecclesiæ, aliòve loco etiam profano contiguo per fenestras: item extra Ecclesiam non omnes capientem, in publica platea vel campo, ita tamen associando se ad alios præsentem & audientes Missam, ut ex signis & gestibus, quid in Missa agatur, colligere possit, & ad multitudinem assistentium censetur moraliter pertinere.

10 II. Non censetur moraliter præsens, nec satisfacere, qui in magno templo Missam celebratam existeret in Sacello, Sacristiâ, ambitu omninò separato. Quia tanta distantia & divisio inter te, & celebrantem nullis aliis intermediis tollit præsentiam moralem. Contra verò satisfaceres, si adesses magna hominum multitudo, tu verò esses ex postremis in magna eadem Ecclesia: quia tunc moraliter faceres unum cum ea multitudine præsentium. *Fagundes, & alii cum Tambur. l. 4. in Dec. c. 2. §. 1. num. 12.*

11 III. Si è fenestra tuæ domus possis advertere ad

ad Sacrum in Ecclesia vicina celebratum, & parva sit distantia, etiamsi via publica inter media, adhuc te posse satisfacere cenlet *Card. de Lugo*, gravis & accuratus Doctor, de *Euchar. disp. 22. Sect. 2.* quia sic adhuc censeris moraliter praesens Sacro. Negant alii Recentiores cum *Tambur. opusculo de Sac. Missa l. 3.* Et videtur magis habere pius sensus fidelium. Et certum est non satisfacere, si magna sit distantia arbitrio prudentis aestimanda, propter oppositam rationem.

IV. Non censetur moraliter praesens, nec satisfacere, qui Sacramentaliter confitetur, dum Missa celebratur, majori vel magno tempore. Quia ad assistentiam moralem Missae non satis est pietas actionis, si haec distrahat, seu excludat moralem assistentiam: distrahit autem in casu proposito: quia ipsa actio externa confessionis ipsum externum cultum attendendi ad Missam impedit, nedum internam intentionem communi Sententia requisitam.

Denique Universaliter non sufficit, vel satisfacit praesentia materialis tantum & corporea, qualis est non tantum toto tempore dormientis, ebrii, nugantis, verum etiam illorum, qui verè, ut ajunt, solo corpore Missae interfunt, utpote propter honestum tantum consortium, curiositatem, pompam, propter solum civile obsequium, quomodo ferè faciunt, qui solum Dominos suos comitantur, aut solum veniunt, ut videant, quae agantur, quaeque personae conveniant, vel ut solum cætus fœbres honorent absque ulla devotione, vel intentione.

tentione Missæ ac cultûs divini. Item qui quidem animo audiendi Missam accedunt, tamen toto vel pleroque tempore Missæ fabulantur, litteras, nova, libros impertinentes legunt, & cætera hujusmodi. Quales præterquam, quod propter irreverentias & alia peccata Deum offendant, præcepti audiendi Missam in Dominica vel Festo die minimè satisfaciunt in omni Sententia, etiam laxâ illâ non requirente attentionem internam. Tenentur ergo ulterius exhibere

§. II.

Præsentiam Religiosam.

14 **A**D satisfaciendum præcepto Missæ audiendæ requiritur ulterius præsentia seu assistentia religiosa & devota, ut nimirum cum pio motu in Deum, seu animo Deum colendi Missæ intersis. Ad quod duo requiruntur, intentio ex parte voluntatis: & attentio ex parte intellectûs. Quoad intentionem omnes consentiunt: Quo ad attentionem verò est communis; & apud me omninò vera sententia DD. atque eadem ratione probatur, sicut probatur de Horis Canonicis, utrobique enim Ecclesia determinat præceptum divinum naturale colendi Deum: adeoque sicut Clericis præcipiendo Horas Canonicas, præcipit veram Orationem devotam ac religiosam, verumque cultum Dei: ita & Laicis præcipiendo audire Missam, vel assistere Missæ, præcipit omninò præsentiam ac assistentiam religiosam, piam, devotam, quæ sit verus cultus Dei, veraque Oratio cum Sacerdote celebrante: atqui de essentia veræ Orationis, verique Dei cul-

tûs

tus necessaria est interna devotio, nimirum interna voluntatis intentio ad colendum Deum: atque intellectus intentio ad rem presentem; ut pluribus explicatum habes *Theol. Sacramentali parte I. in Appendice à n. 75. & rursus parte I. Decal. c. 3. à n. 41.* Ergò.

I. Intentio audiendi Missam non tantum debet esse materialis spectandi gratiam cæremoniam aliquam, sed formalis & religiosa, quatenus actio sacra & cultus Dei est; ut nimirum quis intendat vel explicitè ea actione Deum colere, vel saltem implicitè facere id, quod hinc facere intendit Ecclesia. Quia, ut dictum est, auditio Sacri præcepta ab Ecclesia essentialiter debet esse actus humanus, religiosus, seu verus cultus Dei: talis autem non est, nisi quis voluntariè Deum illo actu colere intendat: non tamen requiritur intentio formalis præcepti, ut nimirum quis, explicitè vel positivè intendat eo actu satisfacere præcepto Ecclesiæ: hoc enim ipso, quo quis facit, quod Ecclesia præcipit, satisfacit præcepto Ecclesiæ, dummodo expressam voluntatem contrariam saltem non habeat. Ut si quis audiret Missam Dominico die pia consuetudine, non advertens omninò esse Dominicam, vel Festum, tamen statuens postea audire aliam Missam, utpote Sacrum solemne, nihilominus jam satisfecit, nec tenetur audire aliam; quia fecit, quod præceptum est. Pluribus & plura huc spectantia in specie habes. *Tract. I. in Decal. de actibus hum. c. 3. num. 41. cit.*

II. Attentio hic requisita & sufficiens triplex esse

esse potest: *prima* & minima est, ad ipsam Missam seu verba & acta Sacerdotis, animo tamen & intentione eo modo Deum colendi. Neque enim tenetur audiens Sacrum, formare preces proprias, sed solum devotè assistere Sacerdoti celebranti & oranti in persona omnium præsentium & totius Ecclesiæ. *Secunda* est attentio ad sensum & mysteria per verba & actiones sacras Missæ significatas, & repræsentatas, præsertim verò Passions & Mortis Christi; & hæc perfectior, sed non nisi intelligentium, & magis instructorum est. *Tertia* est attentio generalis finis, durante Missa, ad ipsum Deum colendum; orandum, deprecandum, laudandum, per orationes, Meditationes, aliosque pio mentis motus & affectus. Consulunt tamen DD. nominatim *Suarez & Laym.* hæc, tales privatim orantes saltem ad partes essentielles Sacrificii scilicet, Consecrationem, & sumptionem specialiter attendere debere. Infra Sacrum insuper non solum licet preces privatas voluntarias, sed etiam obligatorias, utpotè Horas Canonicas, pœnitentiam à Confessario injunctam, aliàsque preces ex voto vel quacunquè obligatione debitas persolvere: juxta communem DD. *Navar. Tolet. locis citatis. Filicinus. Laym. March.* hæc contra *Angelum & Sylvest.* Ratio est; quia attentio ad audiendam Missam requisita æquè stat cum orationibus obligatoriis, ac cum voluntariis: & nihil prohibet duobus præceptis uno eodemque actu & tempore satisfieri: maximè verò cum illæ duæ obligationes nullo modo sibi opponuntur, sed simul stant; imò se

mutu

mutuò adjuvant. Multò maximè verò scrupulus eximendus ministrantibus ad Sacrum solemne, dum occupantur circa cæremonias, etiam sæpius abeundo, quærendo, vel disponendo ea, quæ ad ministerium spectant: dummodò non desit intentio colendi Deum: idèmq; dic de Musicantibus, qui omninò satisfaciunt, quia ipsi Missæ cooperantur: & quia omnia, quæ agunt, ad Sacrificium aliquo modo spectant, moraliter, & Religiosè assistere censentur.

III. Sicut intentio, ita nec attentio requiritur¹⁷ formaliter & actu semper continuata, sed sufficit attentio virtualiter continuata, nunquam scilicet revocata, atque excludens voluntarias distractiones tam internas, quàm externas seu actiones impossibiles cum actu religioso cultûs divini saltem per notabile spatium. Quare licet reprehendendi, non tamen statim peccati mortalis condemnandi sunt aulici, mercatores, & alii, qui inter Missarum solemniam modo attendunt ad partes principales maximè, modò verò confabulantur per spatium in actione Missæ non adeò notabile, uti etiam momentotus *in 4. dist. 12. Quæst. 2. Art. 1. Suar. Disp. 88. de festis Seet. 3. Laym. Tract. 7. c. 3.* Ratione hujus conditionis peccant mortaliter, quotquot per notabile tempus vel per notabilem Missæ partem, utpote in mea sententia plùs, quàm quartam, vel tertiam circiter occupantur, tam internis voluntariis distractionibus in communi & veriori sententia, quàm distractionibus externis seu actionibus quibuscunque à divino cultu alienis, jam n. præcedenti enumeratis.

18 IV. Quamvis autem hanc sententiam de interna attentione requisita contra distractiones voluntarias omninò verissimam iudicem, sicut in Horis, ita etiam in auditione Missæ: monendus tamen Confessarius pro pœnitentibus (non pro se) non esse condemnandam oppositam sententiam sanctorum gravium Doctorum ex Antiquis, *S. Antonini, Sylvii Medina, & ex Recentioribus Conink, Hurtad, Diana, Caramuel.* & novissimè bonis rationibus *Suedæ Card. de Lugo dist. 20. de eucharist. sect. 2.* munitum ad satisfaciendum præcepto audiendi Missæ, citra peccatum mortale non requiri internam, sed sufficere externam attentionem, quæ consistat in negatione distractionis externæ, hoc est cujuscunque negotii vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ, & colendo Deo, qualia essent à nobis prædicta, confabulari, legere nova, historias, scribere, pingere, ludere, &c. Fundamentum est: quòd Ecclesia non potest præcipere actum merè internum ad essentiam actus externi moralis præcepti per se non requisitum, in hoc consentimus omnes: atqui ad essentiam vero orationis, & cultûs Dei requiri attentionem internam asserimus nos cum communiori & veriori (negant Adversarii sanè non improbabiler, saltem speculativè, uti fassus sum jam supra tract. 1. c. 3. n. 43.) Interim pœnitenti oppositam sententiam sequi volenti, absolutionem non deneges.

§. III.

Ad Missam integram.

19 **A**D satisfaciendum præcepto audiendi Missam requi-

requiritur assistentia integra: ut quis nimirum integram Missam præsens audiat ab Introitu usque ad Benedictionem Sacerdotis. Habetur in Jure variis locis *cap. Missas de Consecrat. Dist. 1. ex Concil. Agathensi supra citato. Ibidem cap. omnes fideles, ex Canone 9. Apostolorum. Et cap. cum celebrandas ex Concil. Aurelianensi l. Can. 28.* quibus semper prohibetur, ne ante Benedictionem Sacerdotis discedatur. Ad eò ut omnium consensu peccetur mortaliter omittendo partem notabilem, secus, venialiter tantum, cum certum sit hic dari parvitatem materiæ juxta regulas *tract. 1. Decal. c. 5. n. 24.* assignatas. Dicendum igitur:

1. Terminus Missæ sub mortali audiendæ est ab 20 Evangelio usque ad Communionem Sacerdotis: ita ut quis culpabiliter ultra Evangelium vel ante Communionem Missam omittens censeatur omittere partem notabilem, & peccare mortaliter. Ante verò Evangelium, & post Communionem omittere communi consensu censeatur pars non notabilis, & venialis culpa. *Navar. c. 20. n. 1. Tolet. lib. 6. c. 6. Laym. & March. citati, alii apud ipsos. Sumitur ex cap. omnes fideles. Ubi specificatur. Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant, & non egrediantur ante perceptam Communionem. Et licet ibi per Scripturas Apostolorum videatur intelligi moderna Epistola, tamen & hæc particula censeatur levis esse respectu totius. Insuper & Evangelium citra peccatum mortale omitti, si illud postea privatim legas, putat *Navar. loc. cit. Snar. & Laym.* tamen potius volunt suppleri audiendo ultimum E*

vangelium sancti Joannis, ante quod, post benedictionem Sacerdotis alioquin egredi potuisses. Imò absolute post Evangelium, vel Credo ad Offertorium accedentem (ibi enim incipit Missa Christianorum, priora enim dicebantur olim Cathecumenorum) non esse condemnandum gravis peccata docet Amalarius *lib. 3. de Ecclesiast. officiis c. 11*. Saltem talem peccati mortalis damnare, durissimum videri fatentur Laym. *citato cap. 3. n. 4*. Diana *Parte 4. Tr. 5. Resol. 196*. Ego assentior, quamvis à communi sententiâ non recedendum esse fateam: de futuro quidem nulli consulo: de præcepto tamen neminem peccati gravis damno.

21 II. Etiam intra Sacrum principale definitum partem non notabilem abesse, non nisi veniale est. Quod maximè verum est, quando pars illa non ad id pertinet ad substantiam Missæ: utpotè, dum post recitatum Credo vel Canonem cantus nimis prolongatur: vel dum Sacerdos in Memento, vel intra Sumptionem nimis diu orat, certè contra constitutionem Ecclesiæ in Rubricis. Erat alicubi Sacerdos, qui infra Memento & Communionem solebat ferè orare per horam: tempori assuetus minister interim in vicinum hortum digressus tubò aversus jaculabatur, tempestivè semper regressus ad ministrarium. Utiq; talis etiam die Dominico vel Festo præcepto audiendi integram Missam satisfecit. Similiter absolute satisfaciunt, qui tempore Missæ ministrantes subinde abeunt quærendo vel disponendo ea, quæ ad Sacrum pertinent, ut supra dictum. Imò etiam, qui tempore Missæ confitentur,

dummodò non ita occupentur per magnam partem Missæ in enarrandis peccatis, ut ad Sacrificium attendere commodè non possint : tunc enim non satisfacere jam suprà n. 12. dictum est. Quia actus ipse Missam audiendi & intentio necessaria, tantam & tam disparatam actionem moraliter non compatitur, quantumvis aliqui de hoc disputent. Similiter etiam non satisfaceret, qui abesset tempore partis substantialis Sacrificii, utpote tempore Consecrationis, & Sumptionis: talis enim nullo modo assisteret Sacrificio; ut cum aliis monet Lugo *cit. d. 22. Seet. 1. Diana part. 5. Tr. 13. Resol. 41.* Quod si tamen quis abesset aut à sola Consecratione, aut à sola Sumptione, posset adhuc videri satisfacere citrà peccatum mortale, quia posset adhærere opinioni asserenti, essentiam Sacrificii consistere vel in Consecratione sola, vel etiam in Sumptione; ut cum Lugo citato advertit Tamb. *l. 4. c. 2. §. 1 num. 3.*

III. Ille, qui sive culpabiliter, sive inculpabili-22 ter venit ad Sacrum primò sub Præfatione, vel Canone adhuc ante Consecrationem, omninò tenetur reliquum Missæ audire. Quia tunc adhuc pars principalis Missæ, eaque à Præcepto potissimum intenta audiri potest; ut cum *Suar., & aliis* contra nonnullos rectè docent Lugo *cit. Seet. 1. n. 6. Diana Part. 3. Tract. 6. Resol. 69.* Non ergò audiendus *Joan. Sanchez* oppositum tenens, & dicens esse communem usum fidelium etiam timoratorum; sed dicens tantum, non probans. Contrarium habet proborum fidelium usus. Contra

Ff 3

verò,

454 *Traet. III. in III. Præcept. Decal. Cap. III.*
verò, qui primò post Consecrationem accedit,
obligatur ad assistendum parti reliquæ. T
enim deficit pars principalis & substantialis Missæ.
Quemadmodum feria 6. Parasceve, licet in M
sa adsit Communio, & quædam alia, quia
men non adest Consecratio, non tenemur aut
etiamsi tunc incideret dies festus: ita ergò in
nostro.

23 IV. Probabile & tutum erat antehac, satisfaci
huic præcepto audiendo duas partes Missæ à duobus
Sacerdotibus successivè: v. g. si audivisti unius Sa
cerdotis Missam à Consecratione usque in finem
sufficiebat, si postea audisti Missam alterius Sa
cerdotis usque ad Consecrationem. Quia talis tota
Missam in substantia audivit: ergo satisfacere
est præcepto quoad substantiam, etsi non quoad
modum & perfectionem præcepti, ideòque si
que omni rationabili causa vel necessitate fieri
non sine culpa veniali: erat sanè communior. No
var. c. 22. n. 2. Tolet. l. 6. c. 7. Sa. verbo *Missæ*
ditio n. 2. Laym. cit. cap. 3. in fine. Marchant. c.
tr. 4. tit. 2. q. 1. dub. 2. Meritò tamen aliq
apud Dianam. cit. p. 5. tr. 13. Resol. 41. limitat
dummodò partes essentielles, scilicet Consecratio
Sumptio non dividerentur, sed ab uno Sacerdote
audirentur, quia aliàs non assistitur uni Sacrifici
Alii tamen communiter non distinguebant. In
per Azorius. Bonacina, Hurt. alii cum Diana
summa V. *Missam audire. num. 13.* concedebat
etiam satisfacere præcepto eum, qui duas partes
Missæ simul audiit à duobus Sacerdotibus simul
lebra

lebrantibus, utpote uno incipiente ab Introitu, altero versante circa Consecrationem, & sic utrumque audiendo usque ad finem hujus, & Consecrationem prioris: eò quòd audiatur adhuc tota Missa quoad substantiam, & quoad attentionem, potest quis ad utrumque animum intendere. Et consequenter quidam apud eundem Dianam concedunt, obligatum eodem die audire tres Missas, unam ex præcepto, alteram ex voto, tertiam ex pœnitentia injuncta, satisfacere, si omnes simul à tribus Sacerdotibus simul celebrantibus audiat: eodémque modo fieret in Natali Domini; si esset obligatio audiendi tres Missas. Sed quidquid sit de hoc; illud certè de una Missa mihi omninò videtur improbabile, & meritò absurdum reputat Suarez *de festis disp. 88. sect. 2.* saltem longè probabilius & tutius id negant DD. communiter. Tamb. *cit. num. 10.* March. *cit. d. 2.* Et jam certum esse debet, damnatâ ab Innocentio XI. hâc ipsâ propositione 53. *Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo Sacro qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Ratio est: quia auditio Missæ ex naturâ & institutione sua, ac etiam ratione mysteriorum repræsentatorum est res successiva, quæ suas partes simul habere non potest; duæ verò medietates Missæ simul celebratæ unius successivi partes non sunt, & consequenter ad eandem auditionem Missæ spectare non possunt. Idémque sentiendum judico in altero casu non satisfieri audiendo illas Missas simul, nisi ex intentione aliud constaret.

Missam quamcumque tandem.

24 **P**Ræcepto audiendi Missam satisfit audien-
 Missam quamcumque, dummodo Catholice
 Romano ritu celebratâ, sive solemnè, sive privata
 sive ordinariam de tempore, vel Festo, sive vov-
 vam, vel pro defunctis; sive in Ecclesia Parochiali
 ve in alia quacunque Ecclesia, Sacello, Oratorio
 se loquendo. Communiter Doctores *S. Antonii,
 Sorus, Sylvest. Navarrus, Tolet. Layman Me-
 chant Lugo cit.* Ratio est: quia præceptum
 audienda Missa per se omninò abstrahit à tali
 tali particulari Missa, & à loco publico vel privato.
 Neq; Sacri Canones quidquam de hoc definiunt.
 Quamquam omninò conveniens sit & consule-
 dum fidelibus; ut aliquando saltem Dominicis &
 Festis principalioribus Parochiales suas Ecclesias
 deant, Missæque solemnè & Parochiali intersint, ut
 monet Concil. Trid. *Sess. 22. in Decreto de observan-
 dis & vitandis in celebratione Missarum.* Et in
 Jure *c. 2. de Parochis*, reprehenduntur, & puni-
 ri jubentur, qui contempto proprio Parochio, vel et
 injusta indignatione erga ipsum, Divina apud ipsum
 non frequentant. Insuper addunt Doctores citati,
 Episcopos vel Parochos non posse præcipere,
 talique præcepto non obligari subditos, ut Missam
 audiant tantum in propria Parochia & in Ecclesia
 Regularium, aut alio Sacello vel Oratorio. Quia
 (*ait Navar. cit.*) Episcopus non potest tollere
 Jus commune, & generalem consuetudinem re-
 tius Orbis: atque ita in favorem Regularium de-
 claratum à Congregatione Cardinalium Sacrorum

Rituum, refert Card. de Lugo citatus *d. 22. de Eucharist. Sect. 1. n. 3.* Tandem quod in Brevibus pontificiis excipiantur Festa Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, & Assumptionis B. V. Mariæ (quibus aliàs conceditur facultas legendi & audiendi Missam in Oratoriis privatis & domibus) Et quod alii præter domesticos illius, cui facultas concessa est, ibidem Missam audientes, non censeantur liberi à præcepto audiendi Sacrum diebus Dominicis & Festis, commodè explicat noster Marchant. *cit. tit. 2. q. 1. dub. 1.* mentem Pontificis non esse proponere novam, vel augere obligationem audiendi Missam, præcepti alioquin indeterminati ad quemlibet locum, sed solum ad Parochiæ, ut Parochalibus juribus per tale privilegium non derogetur: sive ne fiat cum præjudicio Parochiæ vel Parochi: utpote si exinde Parochia magna parte populi destituatur, si obligationes tam Parocho, quam pauperibus fieri solitæ, ideò deficient &c. Alioquin præcepto Missæ satisfieri in illis Oratoriis cum aliis docet Azorius *Tom. 1. lib. 7. c. 6.* Sed contrarium mihi planè verius & apertis verbis Breviis conformiùs docent Bonacina & alii cum Diana & Tamb. *lib. 1. c. 4. §. 4. num. 3. de Sac. Missa ex professo.* Ideò soleo suadere in praxi, nolentes tamen non urgere.

SECTIO II.

Causæ excusantes ab auditione Sacri.

SUMMARIUM.

25. *Causæ ab auditione Sacri excusantes generatim sunt quatuor. 1. Impotentia 2. Charitas 3. Officium & 4. Consuetudo.*

Ff 5

26

26. *Impotentia alia est spiritualis, ut excommunicatio, interdium &c.*

27. *Alia naturalis seu Pbyfica: (ubi qui ea excusentur?)*

28. *Alia moralis: hoc ubi, & quando adesse censetur?*

29. *Vsque ad n. 33 an, & quando quis possit vel non possit impedimentum ponere auditioni Missæ h. g. suscipi iter, vel aliud negotium:*

33. *Quando ab auditione Missæ excuset Charitas?*

34. *Quando, & quos excuset Officium? ac*

35. *Quando, & quos consuetudo?*

36. *Ab auditione Missæ, etiam legitime impediti, & excusati, propabilius sub mortali adhuc aliquo alio tunc DEUM colere obligantur illo die.*

ASSERTIO II.

25. **C**ause excusantes ab auditione Sacri die Dominico vel Festo omnes commodè revocantur ad has quatuor: Impotentia, Charitas, Officium, Consuetudo: sic in re omnes, et si variè varient in terminis.

§. I.

Impotentia, eaque triplex Spiritualis, Naturalis, Moralis.

26. **I**mpotentia Spiritualis, quâ excusantur ab audiendo Sacro, qui excommunicationi, vel interdico subjacent, quamdiu per eos non stat, quò minus ab excommunicatione, vel interdico liberentur: quin etiam si per ipsos stet dummodò non ex intentione & directo fine non audiendi Sacrum, absolutionem procurare negligant, juxta communem DD. apud Suarez, *disput. 88. de festis Sect. 6. Laym. supra.* Quin etiam (ut hoc obiter hîc advertam) si Sacerdos, à quo solo quis Missam audire posset, sit notoriè excommunicatus, vel concubinarius notorius, potest

potes ab ipsius Sacrificio abstinere, ob justam scele-
rum detestationem, *cap. Vestra, de cohabitatione*
Clericorum & mulierum. Et *cap. prater, dist. 32.*
ubi id videtur præcipi. Attamen jure novo post
Concilium Costantiense nemo ad id tenetur, nisi
Sacerdos esset notorius Clerici percussor, vel no-
minatim denunciatus, tanquam excommunicatus
vitandus. *Communis DD.* apud Laym. c. 4. n. 4.

II. *Naturalis* seu Physica, & simpliciter dicta²⁷
impotentia; hac excusantur ab audiendo Sacro:
inprimis, qui gravi infirmitate lecto defixi sunt.
Quin etsi talis privilegium haberet Sacrificii cele-
brandi in domo suâ super Altare portatile, tamen
ad id non obligatur: quia nemo Privilegio suo ad-
versus legem communem uti cogitur. *Suarez, &*
Laym. paulò ante citati. Alii apud Dianam *Part.*
9. Tract. I. Resol. 19. Item qui mare navigant:
qui carceribus includuntur, aut justo Superioris
mandato vel pacto domi se continere coguntur. I-
tem qui habitant in locis, ubi nullus Secerdos, nul-
la audiendi Sacri commoditas. Quoad illos autem,
qui voluntariè eligunt habitare, negotiari, servire
in locis iis infidelium, vel hæreticorum, in quibus
non possint audire Missam, rectè resolvit *Mar-*
chan. hic *Quest. 2.* Quod si id faciant absque
justâ causâ, non excusari à præcepto Ecclesiæ, &
consequenter esse in in continuo statu peccati morta-
lis, quamdiu in tali loco voluntariè permanent.
Justam autem causam hic excusantem esse aut spi-
ritualem pro eorum conversione: aut temporalem,
ad conservanda bona temporalia & familiam: ad
neces-

necessaria vitæ suæ vel familiæ procuranda, quæ
 quis alibi obtinere non potest pro mercatura iusta
 & rationabili Reipublicæ necessaria vel utili. Excusa-
 ri etiam poterunt juvenes opifices ex consuetu-
 dine peregrinandi ad proficiendum in arte sua, ma-
 ximè si apud Catholicos, non æquè bene proficere
 possint, ut modò est persuasio (certè indignatus
 sum, etiam apud Catholicos minùs æstimari, &
 in Matrimonii postponi illos, qui non laborant
 in civitatibus Imperialibus hæreticis.) Eo tamen
 semper salvo, ut ne quis periculo fidei se exponat
 & aliàs sub obedientia Ecclesiæ in aliis præceptis
 servandis permaneant, atredentes, nihil prodesse
 imò immensum nocere, si universum mundum
 lucrentur, animæ verò suæ detrimentum patian-
 tur.

- 28 III. *Moralis impotentia* ab auditione Missæ etiam
 excusans dicitur, cum quis Missam audire non
 potest, nisi cum magna difficultate & labore; ut
 qui ruri degentes, nimis longè distant à loco, ubi
 Missa audiri potest, habita ratione quidem itineris
 sed certè non solius (frustra hic aliqui terram me-
 surant) sed etiam magis personarum, sexus, æ-
 tatis, tempestatis, consuetudinis &c. sicut bene
 respondet Navar *lib. 1. Conf. 3. de feriis*; aut non
 nisi cum gravi detrimento, damno, periculo, aut
 ipsius vitæ, ut quia hostis timetur in via, quia pestis
 grassatur, cujus incurrendæ magnum est pericu-
 lum in communi populo ad Templum confluentem.
 2. Aut sanitatis, ut cum probabiliter timetur re-
 cidiva, aut tardior convalescentia, aut qui infirmus
 sum

sunt valetudinis, ratione intemperiei aeris novum aliquod accidens timent; hac etiam ratione mulieres gravidæ, dum partui appropinquant, à Missa excusantur. 3. Aut famæ vel honoris sui: ut quando personæ quædam non possunt prodire in publicum, nisi cum magno suo pudore, dedecore, vel periculo, ob crimen commissum, vel criminis suspicionem. Hac ratione excusantur personæ honestæ, præsertim nobiles, quæ non possunt præ inopia se decenter & statui suo convenienter vestire. Item mulier ex occulta fornicatione prægnans &c. ut ex communi notant *March. & Laym.* citati. 4. Aut bonorum fortunæ: qua ratione excusantur rustici ruri habitantes, præsertim solitariè, ut saltem in familia mutatis vicibus Ecclesiam adeant pro audiendo Sacro. Item quando milites vel prædones in via grassantur. Item quando quis ducem vel comitem itineris valdè utilem, vel comòdam navigandi occasionem amissurus esset, dum interim Missam audiret. Alioquin autem si nulla accellerandi necessitas urgeat, omnes die Dominico vel Festo iter acturi prius Missam audire debent, nisi existimet se alibi vel in itinere audiendi Missam occasionem habituros. Sic etiam de cæteris. Doctorum omnium *Ratio est*: Quia Ecclesia pia Mater non censetur voluisse filios suos obligare cum tanta difficultate vel onere

IV. Verùm circa hanc impotentiam audiend. Sacrum specialis est difficultas, qualiter quis obligetur non ponere impedimentum audiendi Sacrum: seu an quis sponte & absque urgente causa alios ab auditione Missæ excusante, possit suscipere iter vel nego-

nego-

negotiū aliquod, unde prævidet fore, ut die Domini-
nico vel Festo Sacrum audire non possit? duo hic
certa sunt, tertium valdè ambiguum & perple-
xum.

30 *Primò* certum est, posse quempiam tale impedi-
mentum ponere tempore remoto à die Festo V. G.
ante 3. vel 4. dies: etiam directè eo fine, ne audire
tenearis Sacrum. *Ratio est*: quia tunc præceptum
non obligat, neque est in proximo, ut obliget: ergo
tu uteris Jure & libertate, & ponendo, etiam cum
illa intentione impedimentum, non tam censis vel
le impedire executionem præcepti, quod non urget
quàm te eximere à præcepto, seu effugere, ne obli-
geris ad præceptum, quod certe in his præceptis
humanis de audienda Missa, feriando, jejunando,
& similibus nullibi habetur prohibitum.

31 *Secundò* certum est, non posse quempiam im-
pedimentum ponere ipso die Festo vel tempore
proximo, quo posito non valeat interesse Sacro.
Ratio est: Quia eodem die vel tempore proximo,
quod moraliter ad eundem diem pertinere videtur
(ut omnium sensu, & consensu est vespera præce-
dens) urget præceptum audiendi Sacrum, & con-
sequenter tollendi impedimenta præcepti execu-
tioni per se obstantia, qui enim obligatur ad finem,
etiam obligatur ad media per se & proximè neces-
saria ad illum finem: ergo multò magis urge-
bit præceptum ad ejusmodi impedimenta de no-
vo non ponenda. Et sanè moraliter quis non cen-
seat te nolle audire Sacrum, & obedire præcepto,
si videat te eodem die, vel pridie vesperi à loco,

ubi

ubi Missa habetur, recedere, atque ad alium locum, ubi nulla erit Missa, te conferre:

Tertio ambiguum & maximè perplexum est, quodnam sit censendum tempus præcisè proximum diei festo? Certè tempus proximum toto die proximo ante Dominicam, vel festum extendere, satis arctum: contra tempus remotum intra eundem diem proximum concludere, satis laxum videtur universaliter loquendo. Ergò in casu particulari id ex circumstantiis variis variè dijudicandum erit, attentà nimirùm gravitate præcepti, praxiorum, ac operis necessitate, honestate, utilitate, & sufficit tunc sequi iudicium probabile quodcumque in re tam perplexa. Certè audivi semel studiosis nobilibus pro pridie festi ad venationem profecturis, ideòque Sacrum neglecturis, plenè opposita ratione licere, & non licere respondisse Præfectum Congregationis, & Præfectum Scholarum. Et quod tunc non intellexi, nunc iudico utrumque probabiliter. Vide Tamburinum *lib. 4. Decalog. cap. 2. §. 2.*

§. II.

Charitas.

HÆc etiam censetur excusare à Missa audienda, quando quis Missam audiens operi Charitatis & misericordiæ aliàs ex communi præcepto Charitatis debito satisfacere non possit. Qua ratione excusantur, qui serviunt infirmis graviter laborantibus, aut qui soli sine periculo relinqui non possunt, aut quibus tali tempore medicina aliqua est ministranda. Item qui incendio, periculo pro

proximi, & maximè communitatis, avertendo, vel quovis necessario opere misericordiæ occupantur. Item fæminæ, quæ ad vitandum alienum peccatum, aut viri zelotypiam domi se continent, juxta latiùs dicenda in materia de scandalo. *Ratio horum & similium est:* quia cum concurrunt eodem tempore duo præcepta impossibilia, majus præferendum est: majus autem est præceptum divinum Charitatis exercendæ, quàm Ecclesiasticam Missæ audiendæ.

§. III.

Officium.

34 **E**Tiam excusat ab audienda Missa, quando officium aliàs honestum & licitum non potest debitè exerceri, si Missa audiatur. Quomodo apud omnes excusantur milites stationarii, vigiles, custodes oppidorum, pagorum, pastores gregum, cursores veredarii. Item laborantes in fusoriis vitriariis, quorum opera semel cepta sine damno interrumpi non possunt, nec absentiam patiuntur operariorum, saltem diebus festis infra septimanam occurrentibus; imò etiam sæpè diebus Dominicis, de quo infra iterum. Item Matres & ancillæ, quæ infantibus assistere debent. Item famuli & ancillæ in actuali & necessario obsequio Dominorum occupati: dumodò impedimentum non nascatur eorum negligentia & incuria. Quando Domini verò injustè eos detinent, vel occupant, ne Sacrum audiant, illi quidè peccant mortaliter per se loquendo; famuli autem & ancillæ erunt innocentes, dumodò id non fieret in Religionis contemptum, quo

quo casu nullo modo parere possent. Item si frequenter & quasi ordinariè sic fieret, sine justa causa, tenebitur famulus vel ancilla, cum primùm commodè potuerit, absque scilicet suo gravi detrimento sub impotentiâ comprehento, ministerium vel servitium relinquere, alium Dominum adire, apud quem præcepta Ecclesiæ servare possit. Ex communi *Suarez. Laym. March. citati*

§. IV.

Consuetudo.

Etiam excusat interdum ab audiendo Sacro, 35
rationabilis tamen, scientibus Prælati introducta, qua juxta morem patriæ certæ personæ se domi certo tempore continent: ut in aliquibus locis viduæ tempore luctûs, puellæ nubiles tempore sponsaliorum, puerperæ post partum communiter sex septimanis domi se continent, etsi jam ante satis convaluerint, usque dum à Sacerdote benedicantur: & si quæ sunt similes. Vide *Suar. tert. part. 7. 3. d. 88. de Festis Sect. 6.* per totam. Quibus tamen omnibus satis latè patentibus excusationum titulis monendi sunt fideles, ut iis in veritate utantur, ne mentiatur iniquitas sibi. Arguit S. Joannes Chrysostomus quodam loco negligentiam & ingritudinem Christianorum, quod centum sexaginta sex habente septimanâ horas, unam tantùm horam suo cultui postulet Deus, & tot excusationes prætendat homo.

Deinque verissima mihi videtur setentia nostri 36
Patris Marchant. *Tomo 2. Tribun. Tr. 4. Tit. 2.*

Quest. 3. nimirùm eos, qui etiam legitimè impedi-

ti & excusati Missam die Dominico audire non possunt, teneri tamen sub peccato mortali Deum aliquo alio speciali cultu externo vel interno colere non quidem ex vi præcepti Ecclesiastici, quo plus non præcipitur, quam Missam audire, & feriari sed ex divini præcepti naturalis vi, ac tertii Decalogi: *memento, ut diem Sabbathi sanctifices*, quod licet Ecclesia dæterminarit ad certum illum cultum, scilicet auditionem Missæ, & si hæc audiri non possit, cesset obligatio præcepti Ecclesiæ, non tamen idè censetur etiam cessare præceptum divinum naturale de sanctificando illo die, seu Deum colendo aliquo cultu religioso, etsi nullæ certæ preces vel modi præscripti sint. Unde D. Augustinus serm. 251. de tempore dicit: *Observemus diem Dominicum, & sanctificemus illum, sicut antiquis præceptum est de Sabbatho &c.* Et infra agens de illis qui non possunt venire ad Ecclesiam illo die, dicit: *Qui verò hoc non potest, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, & reddere pensum servitutis sue.* Hæc ille. Et hinc non adeò improbabilis est sententia Scoti in 3. d. 37. q. unica nimirum hominem die Dominico teneri ad actum amoris Dei super omnia. Quod si intelligatur de quocunque pio motu dilectionis, cultus vel conversionis mentis ad Deum, in ratione, Patribus & Conciliis omninò fundata est opinio. Secus dicendum est de diebus festis, in quibus non tantum modus colendi, sed ipsum etiam tempus præcisè est juris positivi Ecclesiæ.

SECTIO III.

Obligatio feriandi ab operibus servilibus.

SUMMARIUM.

- 38. Laborare die festo quando peccatum mortale, quando veniale?
- 39. & 40. Feriatio seu vacatio ab operibus servilibus qualiter debeat esse religiosa? qua
- 41. Durat toto die naturali, scil. a media nocte ad mediam noctem;
- 42. Quanam censentur opera servilia, qua non?
- 43. Licita sunt omnia opera non servilia; qualia etiam sunt
- 44. I. Scribere, transcribere.
- 45. II. Pigrescere, & similia. Item licet
- 46. III. Icti facere, pedibus sequo, curru, navi &c. ac etiam
- 47. IV. Venari, aucupati, piscari, bellare. saltem si non fiant cum magno apparatu, & tumultu.

ASSERTIO III.

Tertio Precepto Ecclesie, ut modo determinato, ab Ecclesia etiamnum obligantur omnes fideles sub mortali feriari, seu religiosè vivere, & vacare integro die Dominico, vel festo ab omnibus operibus servilibus ad quotidianum usum ac necessitatem vita humana non pertinentibus, quaeque commode non possunt, vel solent differri, vel praetermitti. Omnes.

§. I.

Omnes obligantur sub mortali.

Habetur in variis Conciliis & sacris Canonibus. Conc. Aurelian. tertium c. 21. Conc. Suesionens. Concil. Triburiense, & cap. omnes de feriis. Ratio obligationis est, quia est obligatio ex virtute Religionis ad Dei debitum cultum & ve-

nerationem instituta : adeoque est gravis ex genere suo, ejusque in qualitate notabili transgressio mortalis. Absque dubio autem hîc admittitur materię parvitas excusans à mortali. Unâ horâ laborare serviliter secluso scandalo veniale tantum esse recte sentit Suarez communiter receptus *Tomo 2. de Relig. lib. 2. de festis cap. 31.* maximè si labor non sit nimis servilis & fatigans corpus, ut notat *Laym. l. 4. tract. 7. c. 2.* Imò communis jam sententia duas horas permittit citra mortalem culpam. *Filiucius Tractatione 26. c. 11. quest. 1. Diana p. 5. tract. 5. resol. 6. Tamburinius lib. 4. Decalogi c. 3. §. 2. n. 1.* Quia nimirum labor unius & alterius horæ comparatione totius diei naturalis viginti quatuor horarum, non videtur pars notabilis, aut ita officiens fini religiosæ vacationis, ut culpæ mortalis damnari possit. Scio etiam aliquos tres, etiam quatuor, & non neminem sex horas, quartam nimirum partem permittere. Sed probare non possum; quia dempto tempore quietis, quod in religiosa fervatione moraliter computandum non videtur, certè tres vel quatuor horas serviliter laborare, pars valde notabilis emergit, & notabiliter officiens fini religiosæ vacationis ad cultum divinum. Excipè, nisi paupertas, vel alia justa causa excuset, de quo infra

S. II.

Feriari, seu religiosè vacare.

39 **F**eriari hoc loco nihil aliud est, quàm vacare, & abstinere ab operibus servilibus. Opera autem

servilia dicuntur, quæ & corpore exterius exercen-
tur, & corporis usui & commoditatibus potissi-
mum deserviunt: sic dicta, quòd per servos exer-
ceri soleant: sicut è contra opera liberalia dicun-
tur, quæ vel mente exercentur, vel licet corpore
exerceantur, tamen ad animum excolendum potif-
simum spectant, ideòque homini libero digna cen-
sentur: ut studere, orare, docere, cantare, cate-
rique actus & exercitia artium liberalium scientia-
rum, virtutum &c.

Vacatio ergo seu feriatio hæc debet esse religio-40
sa, quippè ad colendum Deum & sanctificationem
illius diei ordinata. Otiositas enim inhonesta, si-
cut aliàs, ita maximè diebus festis, & Dominicis
peccaminosa est. Cæterùm sacros dies lusibus im-
modicis, commestationibus, comotationibus,
aliisve operibus malignis insumere, etsi accidenta-
lis inordinatio sit contra honorem Dei, non tamen
inducere novam peccati speciem in confessione ne-
cessariò exprimendam, communis doctrina est in
materia de actibus humanis, ubi de circumstantiis
speciem mutantibus.

§. III.

Die Dominico, vel Festo.

Feriatio debet esse, vel dicitur esse totus diei
naturalis viginti quatuor horarum à prima me-
dia nocte Dominici, vel festi usque ad alterius no-
ctis dimidium. Sic enim festa in Europa obser-
vari testantur Abbas *in c. 1. de festis n. 1. Navar.*
c. 13. Sarez & Laym. citati. Olim tamen mos
fuit feriari à primis Vesperis Dominici, vel festi ut

habetur citato c. *omnes de feriis*. *Omnes dies Dominicos à vespera in Vesperum cum omni veneratone decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere.* Hinc ubi talis consuetudo vigeret inchoandi ferias à primis Vesperis ex obligatione (prout in nostris partibus plerique ab horâ saltim quintâ ferias laudabiliter incipiunt) tunc adveniente alterâ Vesperâ laborare concessum erit, quia festum unius diei viginti quatuor horarum spacium excedere non debet. Cæterum parvitatem temporis à mortali excusantem jam supra assignatam habes.

§. IV.

Ab omnibus operibus servilibus.

42 **S**cilicet ad quotidianum usum & necessitatem vitæ humanæ non pertinentibus, uti sunt omnia opera artium illiberalium; ut lignariæ, ferrariæ &c. Item omnia opera ruralia, ut expressè specificant Canones & Concilia. In Concilio Sueffionensi sic habetur: *Statuimus secundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, nec viri ruralia exerceant, vineta colendo, nec in campis arando, vel mesendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis scirpando &c.* Licita autem ipso jure & consuetudine sunt etiam opera servilia, quæ ad quotidianum usum ac necessitatem vitæ humanæ pertinent, quæque vel commodè non possunt, vel non solent differri, vel anticipari, utpote, quæ requiruntur, ad quotidianum victum & dispositionem corporis, habitus, domus, v. g. coquere cibos eo die comedi

foli-

solitos, etiam in furno, utpote placentas, tortas, mundare domos, lectos sternere, vestimenta purgare, corpori aptare, etiamsi aliquid assuendum sit. Quibus omnibus consentit Concilium Aurelianense III. sub Vigilio, ubi habetur. *Quia persuasum est populis cum caballis & bobus, & vehiculis die Dominico itinerare non debere, neque ullam rem ad victum preparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem illatenus exercere.* (Quares, quia ad Judaicam magis, quam ad ad Christianam observantiam pertinere probatur) id statui-
mus die Dominico, quod antea licuit, licere. Ceterum opera servilia, que commodè possunt, & solent communi usu differri vel præveniri, quantumvis ad quotidianum usum ac necessitatem vitæ spectent, ut vestes, vel calceos confuere, & sarcire, panes pinferi, aquas comportare &c. diebus Dominicis ac festis prohibita manent, cum non sint ex se quotidiana, nec eorum confectio, sed solum jam confectorum usus requiratur, ut notant *Marchant. & Laym.* citati. Quantum autem hic consuetudo ulterius permittat, videbitur §. sequenti inter causas excusantes, & partim mox dicetur.

Licita ergo sunt omnia opera non servilia.

Generaliter diebus Dominicis & festis licitum^{43.} est exercere omnia opera non servilia, sed spiritualia, vel liberalia, uti sunt opera omnium virtutum, ac artium liberalium, ut studere, docere, concionari, cantare, organa pultare &c. Insuper (ut hic generantim præmoneam) eadem opera suapte natura liberalia jam enumerata, ac mox enumeranda, non

472 *Tract. III. in III. Præcept. Decal. Cap. IV.*
servilia, ac illicita die festo, eo quòd propter lu-
crum & mercedem exercentur. Uti contra Ab-
batem, & alios Canonistas *in cap. 1. de tertiis.* An-
gel. Silvest. *V. feria*, docet jam communis & re-
cepta doctorum Sententia. *Capit. 2. 2. Quest. 122.*
Art. 4. Navar. Medina Lop. Suarez, cum Laym.
cit. Ratio est; quia lucrum & merces non faci-
opus servile, cum enim opera liberalia, seu ho-
mine libero digna pretio æstimari possint: sic
contra opera servilia, non ideò cessant esse servilia,
& in festo illicita, quia sine mercede fiunt: mer-
ces ergo vel lucrum omninò per accidens se habent
ad opus servile, vel non servile. Alioquin damna-
re oporteret Professores, & Causidicos, qui his
diebus in scribendis suis actionibus &c. occupan-
tur: quod licet affirmet *Abbas & Angelus*, repu-
gnat tamen consuetudo, & praxis piorum. Ca-
terùm hinc aliqua opera dubia, sintne servilia, adeò-
que prohibita nec ne, examinanda breviter sunt.

1. Scribere, transcribere.

44 **S**cribere præsertim ex proprio conceptu, non
est opus servile, juxta communem Doctorum
sententiam. Cajet. *supra Navar. c. 13. n. 13.* Medina
Lop. alii cum Suarez & Laym. cit. Confirmat praxis
& Ratio est: quia scribere ad artem grammatìcã per-
tinet, quæ prima est inter artes liberales. Eadèmq;
omnino est ratio de transcriptione: adeò ut Notarii,
Comissarii, Officiales Curia, aliique scribæ, etiam
mercede vel salariis conducti diebus festis transcri-
bentes non peccent, saltè mortaliter, quia tã scribere,
quàm transcribere per se est actio liberalis; & per
acci-

accidens est, quòd ex proprio conceptu, vel alieno, ex hac vel illa intentione fiat: ut contra *Cajet. Navar. Azorium* relatos docent alii Doctores communiter cum *Layman citt. Diana Parte 2. Tr. 15 Resol. 35.* Eademque, vel major est ratio de scribendis vel describendis notis musicis, pertinent enim ad artem liberalem Musices. At verò lineas pro iisdem notis serio & per se ducere non audet permittere *Tamb. l. 4. c. 3. §. 1. n. 7.* eò quòd sit mechanicum, & apparatus ad scribendum, at non ipsum scribere. Sed germani non ita anguntur merito scrupulis italicis: & mirum, quòd ipse *Tamb.* postea nobiscum sentiat de pictura.

II. Pingere & similia.

Probabilissimum est, quod, etsi contra com-
munem, docet *Metina, Lopez*, eosque citans *Laym.* hic, & approbat *Tamb. cit. c. 3. n. 8.* etiam pingere in tabula sine apparatu & magno labore, non esse opus servile, ideòque nec prohibitum in die festo per se loquendo, & secluso scandalo. Quia talis pictio æquè ac scriptio consistit in ducendis lineis & figuris. Deinde æquè pingentes ac studentes animi voluptate in opere detinentur, quod signum est artem pingendi liberalem esse. Denique *Angelus, Armilla, Sa. V. festum,* concedunt licitum esse pingere recreationis, animi, temporis fallendi, vel artis addiscendæ gratiâ; ergò fatentur pingere non esse opus servile: alioquin etiam opera servilia exercere, ligna findere, ferum cudere liceret die festo, ob similem causam, quapropter damnandi non sunt pictores, si post-

quam rei divinæ satisfecerunt, artem suam sine magno apparatu privatim, ac sine scandalo exercent ob probabilem ipsorum persuasionem artem suam esse liberalem. Sed dictum est *sine magno apparatu*, puta quoteruntur, ac miscentur colores, parantur, extenduntur tabulæ &c. ut benè observat *Timbur. §. I. n. 9.* Idemque probabiliter sentiendum de quibusdam aliis operibus picturæ vel scripturæ valdè similibus. Uti sunt actu pingere in tela, opere (ut vocant) Phrygio. Id enim licere saltem nobilissimis Matronis, ac puellis concedunt *Azor. tit. Pellizarius, apud Dianam.* Qui tamen non omninò affirmat. *Timbur. cit.* svadet, ut faciant talia pro necessitate pauperis Ecclesiæ, vel egenorum. Item Typographos die Dominico vel festo licite posse ordinare characteres etiam concedit *Layman Tract. 7. c. 2.* ipsa autem impressio sine dubio opus servile, & quidem valde fatigativum est, ideò die festo prohibitum manet. Similiter sculpere, horologia conficere, auro cælare: quantumvis artificiosum sit, & liberale jactent, re ipsa tamen opera servilia sunt, & ad artem fabrilem spectant, ideòque prohibita die festo, ita interpretante consuetudine & usu hominum. Exciperem tamen, quando in materia modica valdè subtilia sculpunt, ut nullus ferè corporis, totus autem animi & ingenii labor esse videatur. Item censendum est de calcographis ob paritatem rationis
ex dictis.

III. Iter facere

PEdibus, equo, curru, navi &c. non est opus⁴⁶ servile, quia naturale, & omnibus hominibus commune, ideoque nec prohibitum die Dominico, vel festo. *Cajet. in summa P. festum. Navar. c. 16. Suarez, Layman, Diana.* Et consequenter licebit opera ad ejusmodi itinera necessaria præstare. V. G. equos parare, currum jungere, remigare in aquâ, onera conveyere, &c. quia accessorium sequitur naturam principalis. At verò currus, equos, mulos onustos agere opus servile est, & die festo inchoare absque justa causa non licet. Antea tamen inchoatum continuare licebit, si commodè desisti non possit, ut notant *Cajet. Angel. Suar. Laym. cit.* Insuper meritò *Diana* eos venditores excusat à mortali, qui auditò Sacro, curribus vel jumentis onustis iter ineunt, quòd in labore servili imponendi onera non multum temporis infumatur, & sic excusat levitas materiæ. *Diana part. 2. tract. 2. Resol. 36.*

IV. Venari, Aucupari, Piscari, Bellare.

HÆc quidem esse opera servilia, negant *Na-47* *var. Lopez.* alii: affirmant tamen Doctores communius. Et sine dubio prohibita sunt die Festo, cum fiunt cum magno apparatu, tumultu, gravi labore servili in comportandis & deponendis instrumentis. Secluso tamen ejusmodi tumultu & labore, consuetudo jam obtinuit, ut licitum sit venari, piscari, aucupari diebus Dominicis & festis, saltem recreationis & animi causâ, ut ex communi docet *Layman citatus. tract. 7. c. 2. num.*

n. 6. March. cit. *Quæst. 4. ante finem.* Imò etiam
lucris causâ, juxta superius dicta, *Dina parte 4. Tr.*
4. Resol. 222. Similiter & bellare per se opus servi-
le est, & per se illicitum, saltem olim fuit extra ca-
sum urgentis necessitatis, ut habetur *c. 4. extra de*
Regulis Juris. Quod non est illicitum in Lege ne-
cessitas facit licitum. Nam & Sabbathum custo-
dire præceptum est: Machabei tamen sine culpa sua
in Sabbatho pugnabant. Consuetudo tamen etiam
artem militarem jam cohonestavit, ut saltem sine
peccato mortali seclusa necessitate, liceat diebus
festis & pugnare, & militares exercitationes, lustra-
tiones, & similia instituere, *juxta L. Divus ff. de*
feriis. Vide Molinam Tom. 1. tr. 2. Disp. 111. Be-
canum. 2. 2. c. 25. Quæst. 17. Laym. cit. c. 2. n. 6.

48 Denique quatuor opera, etsi de se minimè servi-
lia tamen speciali jure positivo prohibita sunt in die
festo *juxta capit. Omnis de feriis.* 1. Mercatus, præ-
sertim publicus & cum strepitu. Nam semper li-
cuit distractio rerum ad victum quotidianum neces-
sariarum, sicut & privati contractus emptionum &
venditionum, etiamsi fiant solemniter coram No-
tariis: quia necessitas illos excusat; cum aliis diebus
homines plebei operi intenti convenire tam facile
non possint, maximè rustici. Et privilegio excu-
santur nundinæ solemnes. Denique consuetudine
hoc peccatum ferè usque ad tempus divinorum
Officiorum videtur esse restrictum. 2. Placida
seu actiones forenses. 3. Judicium ad mortem.
4. Juramenta in Judicio præstanda, de quibus vide-
re potes *Laym. c. 2. n. 7.*

SECTIO IV.

Causa excusantes à feriis.

SUMMARIUM.

- 49. *Causa excusantes à feriatione sunt generatim quatuor*
1. *Necessitas.* 2. *Charitas.* 3. *Officium,* & 4. *Consuetudo.*
- 50. *Qua, quando, & quos à feriatione excuset necessitas, ita ut ob eam laborare liceat die festo?*
- 52. *Quando excuset à feriatione Charitas seu pietas 1. ergo Deum, 2. erga proximum, & 3. erga seipsum?*
- 55. *Quale, & quos excuset Officium? &*
- 56. *Qualis, & quos excuset consuetudo?*
- 57. *Circa praedicta quaedam bene notanda.*

ASSERTIO IV.

Causa excusantes à feriis, propter quas liceat ⁴⁹
Dominicis & Festis diebus serviliter laborare, commode etiam ad quatuor capita revocantur, scilicet, Necessitas, Charitas, Officium, Consuetudo.

EXPLICATIO,

§. I.

Necessitas.

Excusat necessitas aut publica V. G. reficiendis
 fontes, pontes, aggeres fluminum, imminente
 hoste valla exstruendi, muros reparandi &c. Item
 piscandi certum genus piscium, nominatim ha-
 lecum, quod non nisi diebus oportunis capitur, a-
 liquando in Dominicas vel festa incidentibus. *Cap.*
Licet da feriis. Item parandi aliqua ad commu-
 nem populi festivitatem, V. G. in adventum Prin-
 cipis, & quaecunque sit necessitas publica, vel
 justum Magistratus imperium, aut privata, qua
 excusantur pauperes, qui si tot festis occurrenti-
 bus ferientur, se, suamque familiam sustentare non

SE.

possunt: similiter pauperes præsertim famuli & famulæ, qui diebus festis suas vestes resarciunt, quantumcunque etiam tempore, cum aliis diebus non possint, vel non permittantur, ut notavit Laym. *cap. 4. num. 1.* Item agricolæ, qui ob diuturnam pluviam præteritam vel superventuram diebus Dominicis, & festis fruges & foenum metere, secare, congregare coguntur, vel ob aliud grave damnum cavendum ruri laborant. Item aurigæ, nautæ, vitriarii, salinarii, laborantes in fuforiis &c. quorum opera semel cæpta, sine damno interrumpi non possunt, ut etiam superius quoad Missam notatum est. Item qui superveniente hoste debent muros munire &c. Vide similes casus *cit. cap. licet de feriis.* Item Medici, Chirurghi cum pro infirmis laborare debent. Item fabri ferrarii, dum equos soleant, & eorum rotis laminas imponunt ob necessitatem iter faciendum. Item sartores, cum diebus festis quandoque post mediam noctem in multum diem laborare coguntur, ut vestes promissas expediant, præsertim si aliis diebus bona fide absolvere non poterunt. Laym. *cap. 4. n. 2. Diana part. 2. Tract. 15. Resol. 34.* Quo etiam famuli Magistris parere debent: quod si autem absque iusta causa fieret, semel quidem & iterum parere poterunt causâ vitandi odii, contentionis, incommodæ dimissionis; si autem frequenter & per consuetudinem fiat, si alium Magistrum acquirere possunt, tenebuntur alterum deletere; alioquin excusabuntur à præcepto Ecclesiæ piæ Matris. Similiter excusatur quilibet famuli, ancillæ, & uxores, si à Dominis vel maritis ad laborandum

dum coacti (modò id non fiat in contemptum Religionis) sine incommodo imperium detrectare non possunt, neque servitium mutare: certè conforcium non possunt uxores. *Lym. proxime citatus.*

Denique universaliter quivis serviliter laborare poterit, ne aliquod notabile damnum patiat, secundum omnes: imò etiam, ne magno aliquo extraordinario lucro privetur: nam revera etiam notabile lucrum amittere damnum grave est, ut si oportuna & lucrativa sit occasio vendendi, ut notant cum Tamburino *citato* §. 3. n. 8. Diana & alii. Neque enim existimandum est, Ecclesiam piam Matrem velle obligare fideles suos ad rem sanè difficillimam, qualis esset abstinencia servilium operum, lucrum multorum aureorum, aliàs non ita facile obvium, amittere. Idque maximè fatendum, quando lucrum aliàs ab aliis caperetur, V. G. in locis diversarum Religionum. Et favet Pontifex *citato c. licet de feriis.* Quod licet communiter trahatur ad necessitatem publicam, ab aliis tamen etiam reducitur ad necessitatem lucri privati capiendi.

§. II.

Charitas,

Seu pietas etiam hinc excusat, eaque triplex. I. *152*
 Erga Deum ac cultum divinum, ut si Altaria ornanda, templum verrendum, parietes auleis ornandi, aliave ad festivitatem ordinanda sint. Idque etiamsi præcedenti die fieri potuissent, ideoque non sine veniali peccato vel culpa neglecta, & in
 diem

diem festum translata sint : ut cum aliis observat
Diana Part. 2. Tract. 5. Resol. 8. Ratio facilis est
quia præceptum hoc, quo divinus cultus attendi-
tur, non debuit prohibere ea, quæ & ipsa ad divi-
num cultum proximè spectant (*Nota proximè.*)
non item ea, quæ remotè nimis ad divinum cultum
referuntur. Quis enim dicat, licere ligna secare,
laborare, in ordine ad Ecclesiam, vel Aram con-
struendam, nisi notabilis Ecclesiæ necessitas id ex-
geret : similiter sepulchra Christi pro Hebdomada
Sacra, præsepe pro Festo Nativitatis, Aras, ac
moles artificiosas ad exponendam Eucharistiam,
item vias publicas ad eum finem ornare, scenam
ad repræsentationem Sacram erigere die Festo, bal-
nem sine mortali, etsi non sine veniali, si potuis-
sent ante fieri, Doctores concedunt communiter,
& praxis obtinuit. Atramen non poterunt eadem
de novo fabricari die festo : intellige semper, sectu-
sâ necessitate. *Ratio patet* ; quia illa erigere pro-
ximè, eadem verò ædificare se remotè habent ad
53 *actualem Dei cultum.* II. Charitas erga proxi-
mum ; ut Lucæ 14. ad extrahendum bovem, vel
asinum proximi, è puteo in Sabbatho. Ad ex-
tinguendum incendium, aliudve malum proximi
avertendum. Item ad tumbas ac vestes funebres
faciendas, insignia, aliâque paranda pro funere.
Item ad succurrendum proximo in extrema vel
gravi necessitate laboranti, cum aliunde succur-
rendi media non suppeditant, licet serviliter labora-
re : certum apud omnes, Addunt communiter etiam
licere ad eleemosynam pauperi dandam. Et so-
leo

leo permittre juvenibus opificibus, fimul in ordine ad otium ac aliorum peccatorum occafiones evitandas: alioquin in folâ communi neceffitate pauperum id licere rectiùs negant Diana & alii cum Tambur. cit cap. 3. §. 2. n. 16. Ratio eft: Quia obligatio hujus præcepti gravis eft, ideoque non videtur rationabiliter vinci poffe à quavis proximi communi neceffitate, ficut vinci cenfetur in neceffitate gravi vel extrema. III. Charitas erga feipfum quandoque etiam excufare poteft, non tantum in neceffitate corporali; fic enim excufat caufa præcedens, fed etiam in neceffitate fpirituâli: Quâ ratione Sylveft. Sa, & alii apud Laym. citat. excufant eos, qui poft divina moderatè laborant ratione otii, vel probabilis periculi peccandi evitandi, præfertim puellas die fefto nentes, vel acupingentes, ne otio vacent, vel ad feneftras confpiciendas fe præbeant. Jam fuprà monui confulendum femper, ut talia laborent ad pias caufas pro Ecclefia, vel proximo egente. Alioquin inde rarò accidere, ut peccatum aliter evitari non poffit, & fic per fe vix fufficientem caufam effe, rectè cum aliis notat Laym. cit. c. 4.

§. III.

Officium.

EXcufat generaliter illos, ad quos ex officio pertinet prædicta, aut aliqua eorum facere: etiam fi alii adeffent, qui fponde facere vellent. Item Officiales militiæ, dum in Dominico vel fefto exercitus difponunt, aliâque quantumvis fervilia permittes curant fieri ad officium militiæ pertinentia.

THEOL. MORAL Pars III.

Hh

Item

Item barbitonfores, quibus diebus Dominicis vel festis tondere & radere licitum est ex multiplici capite. 1. Ex parvitate materiæ, si unum aut alterum tonderent. 2. Ratione lucri cessantis, si neget eo die petentibus. 3. Ratione necessitatis rusticorum vel aliorum, qui per occupationes aliis diebus accedere non possunt. 4. Eadem ratione consuetudinis jam ubique ferè toleratæ. Fernandez hujus & alii cum *Diana pars. 2. tr. 15. Resol. 34.* Eadem ferè est ratio de coquis communibus, pilloribus, cauponibus, lanionibus, quorum opera servilia die Festo aut aliorum necessitas, aut propria indigentia seu lucrum cessans notabile, aut denique consuetudo tolerata à consciis Prælatiis plerumque excusat, adhibito semper prudenti judicio. Quamquam de iis Auctores, præsertim aliarum nationum, & sæpè nimis rigide loquantur.

§. IV.

Consuetudo.

56 **E**T hæc tandem excusat, cum in aliquibus locis aliqua solent fieri, etiam præter necessitatis rationem sola consuetudine approbata vel tolerata, ut quòd mercatores diebus festis ac Dominicis publice vendant, saltem post tempus Sacrorum, & meritò alicubi post Concionem meridianam primo quòd opifices festis diebus ad vesperam materiam præparent sequentibus diebus laborandum, ut notant *Laym. & March. citati.* Item quòd diebus Dominicis & festis etiam molant, partim necessitas, partim parvitas materiæ in labore hominum, partim etiam consuetudo excusat. Item quæ paulo supra


suprà de barbitonsoribus, coquis &c. & superiùs de venatione, piscatione, bello annotata sunt. Item de gladiatione rectè ita censet *Fagundez* apud *Diana* citatum. *Consuetudo facit actionem hanc licitam: addiscunt enim Juvenes artem degladiandi diebus Dominicis, videntibus & consentientibus Prælati.* Denique *Sanchez l. 5. Consiliorum* dubio 18. c. 2. n. 12. ita habet. *Etiam cessante necessitate ex consuetudine antiquissima, sunt licita aliqua minuta, quæ solent facere Agricola in veres & dam habent segetes in area; scilicet trituram trerere, extendere, aut separare; & idem est de consuetudine hortulanorum rigantium olera in die festo &c.* Hæc *Sanchez.* simile ergo iudicium est in similibus innumeris, quæ recensere nimis longum foret.

Advertenda circa prædicta.

CAUSÆ excusantes hactenus explicatæ semper præsupponunt, ut prædicta & similia bona fide fiant, non in Fraudem festi, minus in contemptum, & scandalum vitetur. Alioquin peccari mortaliter nimis certum est. Unde. II. Si opus præcedenti die fieri potest, minimè licet differre in Dominicam, vel festum ex intentione, eo ipso enim fieret in fraudem: si tamen per oblivionem, vel negligentiam jam dilatum sit, & non possit commode differri ulteriùs, tunc die festo sine culpa fieri poterit, urgebit enim necessitas aliqua non obstante culpa præcedente. III. Si causa excusans est manifesta, non opus est petere licentiam, vel dispensationem à Superiore, Episcopo, vel Parocho, nisi

H h 2 si

si ex condecanti, vel ad majorem securitatem, ad
 cavendum scandalum. *Omnes.* Si verò causa du-
 bia sit, vel patenter non sufficiens, dispensationis
 opus erit, quam ex consuetudine recepta, seu gene-
 rali commissione conferre potest Episcopus, & in
 ejus absentia Parochus proprius: Confessarius au-
 tem solùm pro foro conscientie declarare poterit
 an causa justa & sufficiens sit, nec ne, juxta Re-
 gas prædictas. IV. Regulares, eorumque Prælati
 respectu sæcularium, etiam famulorum vel do-
 mesticorum suorum potestate ordinaria nihil possunt
 nisi quatenus haberent rationem Parochorum; ceterum
 alioquin sæculares sub illorum jurisdictione spiri-
 tuali non sint. Per Privilegium modicum quidam
 nobis concessum habes apud nostrum Portellum in
 dubiis Regularium V. laborare, his verbis: *Ex
 genio IV. concessit, quòd sæculares absque peccato
 possint laborare in nostris Conventibus in die
 Sanctæ Crucis Septembris, in die S. Michaelis, S.
 Innocentium, S. Sylvestri, quando non incidunt in
 Dominicam. Unde videant Prælati se peccare
 mortaliter, & facere mortaliter peccare alios,
 contra prædictam explicationem invitent, vel per-
 tiantur, quod in suis Conventibus sæcula-
 res laborent, etiam gratis.* Hæc
 Portellus.



APPENDIX

De Observatione Jejuniorum.

Post tertium Præceptum aliàs satis breve, & quoad modum, & tempus Ecclesia determinatum, aptissimus locus est tractandi, & à plerisque tractatur de Præceptis communibus Ecclesiæ. Quinque autem sunt generalia Præcepta Ecclesiæ omnes Christianos sub mortali obligantia. *Primum* statutos ab Ecclesia Dies Festos celebrandi. *Secundum*, Missam Diebus Dominicis, & Festis reverenter audire (de his duobus jam hic satis actum.) *Tertium*, indicta ab Ecclesia certis diebus jejunia, & à quibusdam cibus abstinentiam observare. *Quartum*, peccata Sacerdoti proprio, aut alicui approbato singulis annis confiteri (de hoc in materia de Pœnitentia.) *Quintum*, Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa Festum Paschæ sumere (de hoc item jam actum *part. 2. Theol. Sacrament. c. 6. Sect. 7.*) Addunt aiiqui *Sextum* de nuptiis tempore prohibito non celebrandis, aut de Decimis solvendis: verùm quia nec omnes fideles nubunt, nec omnes agros vel bona decimata habent, ideò hæc duo inter universalia Præcepta Ecclesiæ censenda non sunt. Manet ergo nobis explicandum solum Tertium Præceptum Ecclesiæ de observatione jejuniorum. Sit ergo

SECTIO I.

Quid, & quotuplex Jejunium?

SUMMARIUM.

1. *Ethymologia & divisio jejunii generatim sumpti.*
2. *Jejunium Ecclesiasticum*
3. *Est I. religiosa observantia (ideoque actus Religionis)*
4. *II. Abstinentiæ à cibo, & certa ciborum qualitate (ubi quid nomine cibi intelligatur?)*
5. *III. Statuto tempore (quodnam illud?)*
6. *Ab Ecclesia ordinata. Ideoque*
7. & 8. *Jejunium Ecclesiasticum requirit, vel præcipit abstinentiæ à carnibus; &*
9. *In quadragesima ab ovibus & lacticiniis: nisi privilegium, vel consuetudo contraria hæc admittat, ut est in Germania. Ubi*
10. *Licet ova & lacticinia comedere liceat, probabiliter tamen non licet hoc ipso etiam vesci sagimine, seu pinguedine è lardo, nec adipe, vel sanguine &c.*
11. *Obligatio jejunii est sub mortali, toties, quoties, nisi per vitas, materiam vel aliam causam excuset. Insuper*
12. *Jejunium Ecclesiasticum requirit etiam unicam tantum refectiõnem,*
13. *Mortaliter contumaciam, nisi paupertas, officium, vel negotium excuset. Adeoque*
14. *Excludit alias refectiõnes iteratas, veras tamen non alias sumptiones per modum medicine. Resolvuntur variis casibus.*
15. *Vinum, cerevisia, mulsum &c. etiam ad sedandam sitim sumpta, non frangunt jejunium*
16. *Obligatio unius refectiõnis est pariter sub mortali, ex genere suo.*
17. *Probabiliter tamen, qui sæpius in die refectur, tantum semel peccat mortaliter, in prima scilicet iterata refectiõne*
18. *Hora refectiõnis modò est meridies, seu hora undecima.*
19. *Que hora tamen non est de essentia jejunii Ecclesiastici, sicut est abstinentiæ à carnibus, & unica refectio, talem ex justa causa mutari potest.*

22. Sine justa causa autem eam horam mutare, vel notabiliter anticipare peccatum mortale esse, volunt aliqui.

23. Probabiliter tamen solum veniale est.

Jejunium quoad vocem dictum est à *jejuno*, intestino quodam animalis, quod semper vacuum, & subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum, & consequenter non pinguem, sed macrum, & subtilem reddat: adeoque secundum hanc ethymologiam jejunium propriè significat abstinentiam ab omni cibo, & potu. Illi enim propriissimè dicuntur jejuni pro tali die vel tempore, qui eo die vel tempore nihil omninò gustarunt, comederunt, vel biberunt, quod jejunium naturale vocant. Verum latius extensum nomen jejunii variè accipitur, & potissimum quatuorplex, & vulgò quatuorplex jejunium distinguitur, *spirituale, naturale, morale, & Ecclesiasticum*. I. *Jejunium spirituale* improprie, metaphoricè dicitur abstinentia à vitiis, & voluptatibus quibusvis in Scripturam passim. Isaia 58. *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis.* Unde D. August. *tr. 17. in Joan. Jejunium magnum, & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi.* Similia habent alibi, & alii Patres, & pulcherrimè D. Bernardus *serm. I. in Quadrag.* II. *Jejunium naturale* dicitur abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu in stomachum transmissis, quale jejunium à tempore mediæ noctis gravissimo Ecclesiæ præcepto requiritur ad dignam celebrationem, sumptionem Eucharistiæ. Nam ut ait D. August. *Epist. 118. Placuit Spiritui Sancto, ut propter honorem tanti Sacramenti prius in eos Christiani Dominicum Cor*

intraret, quam ceteri cibi. Quale etiam erat
 junium Ninivitarum Jonæ 3. indicente Rege. Ho-
 mines, & jumenta, & boves & pecora non gresserunt
 quidquam nec pascantur, & aquam non bibant.
 III. Jejunium morale, ac Philosophicum dictum
 est actus temperantiæ moderantis appetitum, & usum
 sum cibi ac potûs secundum regulam rectæ rationis
 cujus velut partes sunt abstinencia, & sobrietas.
 Abstinencia enim moderatur affectum, & usum ciborum;
 sobrietas verò moderatur affectum, & usum potûs
 potûs potentis inebriare. Cæterum hoc jejunium
 morale aut est *generale*, prædictam scilicet actus
 temperantiæ, seu abstinencia moderans abstinencia
 tiam, & appetitum ciborum secundum rectam rationem:
 ne scilicet excedatur, vel deficiat: aut est *speciale*,
 scilicet actus abstinencia specialis subtrahens
 hens alimenta corpori magis, quam ratio temperantiæ
 alioquin requireret in ordine ad certos fines utpote
 ad cultum Dei, mortificationem carnis &c.
 Et hoc rursus aut est *arbitrarium*, ac liberum, quoad
 modum jejunandi & abstinendi à cibo & potu pro
 cujusvis libitu, affectu, devotione, de quo variorum
 & mira habentur in libris, & Vitis Sanctorum: aut
 est *ordinarium*, vel regulare, scilicet certa lege vel
 consuetudine constitutum quoad modum jejunandi
 di. & abstinendi pro certa hominum communitate
 societate, Religione: qualia fuerunt jejunia Judæorum
 in veteri lege, & etiam est jejunium in Nova
 Lege; præterea specialia jejunia diversorum Ordinum,
 seu Religionum. Jam vides jejunium Ecclesiasticum
 etiam esse jejunium morale, & speciale.

IV. Jejuniū Ecclesiasticū ergo definitur communiter : *Abstinentia cibi secundū Ecclesia regulam assumpta* : apud Bellarmin. l. 2. de bonis oper. c. 1. Aut : *Abstinentia ciborum secundū modum ab Ecclesia omnibus fidelibus præscriptum* : apud Filliuc. tr. 27. part. 2. c. 1. q. 1. Aut : *Abstinentia à carnibus & prandii, ac post cœnam cuiuslibet cibi subtractio usque in diem sequentem.* Sic Canonistæ communiter apud Azor. tom. 1. lib. 7. c. 8. q. 1. Teneatur definitio, quæ magis placeat : sed explicemus accuratius.

§. I.

Quid est Jejuniū Ecclesiasticum.

ASSERTIO I.

Jejuniū Ecclesiasticū, prout defacto in Ecclesia Romana indicitur, rectè definitur, *Religiosa observantia abstinentiæ à cibo, & certa ciborum qualitate, designato tempore ad Deum colendum, & carnem propter Deum mortificandam ab Ecclesia ordinata.* Est in re omnium, & interminis Marchant. tom. 2. Trib. tr. 12. tit. 3. q. 1. Explico particulatim.

1. *Religiosa observantia abstinentiæ.* Indicatur vera natura jejunii Ecclesiastici : etenim jejuniū Ecclesiasticū non est præcisè actus temperantiæ, vel abstinentiæ, sed etiam actus Religionis, spectans ad observantias sacras quippe ad cultum Dei, & carnem propter Deum mortificandam, ordinata tanquam ad suum proprium finem ; nullum enim est jejuniū in Ecclesia Dei institutum, quod singulari Dei cultui dedicatum non sit, ut de jejunio Quadragesimæ, quatuor temporum, Vigiliarum mox

Hh 5

pate-

patebit §. seq. Excluditur ergo à jejunijs Ecclesiastico in primis jejunium necessitatis, qui vel non habet, quod manducet, vel ex morbo cibos abhorret abstinere &c. Item jejunium avaritiæ, quo quis solum parsimoniæ causâ abstinet; item jejunium medicinale, quo quis solum sanitatis gratiâ abstinet: item jejunium merè morale & Philanthropicum, quo quis solo temperantiæ motivo abstineret, etiamsi alioquin servatâ formâ ab Ecclesia præscriptâ; talis enim tantum necessitatis, avaritiæ sanitatis, vel temperantiæ gratiâ jejunans absque ulla prorsus expressa, vel implicita intentione DEUM honorandi, aut carnem propter DEUM mortificandi; jejunium Ecclesiasticum revera non celebrat: imò si haberet voluntatem expressam vel li jejunijs DEUM non colendi, aut præceptum Ecclesiæ non implendi, etiam affectu Præcepto Ecclesiæ non satisfaceret, sed peccaret mortaliter in foro conscientiæ, quamvis in foro externo condemnari non posset ab Ecclesia, de occultis non judicante.

4. II. *Abstinentia à cibo, & certâ ciborum qualitate:* scilicet carnibus & in Quadragesima omnibus, quæ ex carne procedunt, utpote lacticiniis, & ovibus, de quibus *infra*. Nomine autem cibi intelligitur, quidquid sumitur, & in stomachum trajicitur ad finem corporis alendi, seu nutriendi, sive deinde sumatur per modum cibi mandendi, ut panes, carnes &c. sive per modum potûs sorbendi, ut lac, mel, juscula. Jejunium ergo non comprehendit abstinentiam alicujus non ad nutriendum

corpus sed solum ad concoctionem juvandam, restringendam sitim, refrigerandam naturam, ut aqua, vinum, cerevisia; quamvis enim vinum, & cerevisia etiam nutriant, tamen per se non ad nutriendum, sed ad alios fines prædictos sumuntur: neque comprehendit abstinentiam à medicina, seu pharmacis, seu iis, quæ sumuntur non per se ad alendum corpus, sed ad morbos pellendos, vel evitandos tanquam suum proprium finem. Jejunium ergo Ecclesiasticum solius cibi abstinentiam per se requirit, juxta communem Ecclesiæ sententiam, & Sententiam DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 147. a. 6. Rationem indicat Divus Leo *serm. de jejun. septis mensis* dicens: *Licet jejunium generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem cibi refertur, ut profic nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit usurpasse, & sicut illis concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit salutis.* Hæc ille.

III. *Statuto tempore.* Triplex hic tempus statutum est: Primum tempus jejunii observandi, seu dies, quibus jejunandum est: ut sunt dies Quadragesimæ, quatuor Temporum, Vigiliarum, & quoad solam abstinentiam Feria sexta, & Sabbatho. Secundum, est tempus inchoandi, & finiendi statuto die, & est tempus à media nocte præcedenti, usque ad mediam noctem sequentem illius diei, ita ut ante mediam noctem præcedentem, & post mediam noctem sequentem jejunii, quis omni lege jejunii solutus sit. In dubio tamen ex alibi dictis hic obiter distinguendum est: ante mediam noctem

præ-

præcedentem jejunii v. g. Feriæ quintæ, vel Feriæ
 tertiæ ante Cineres, si tunc dubitatur, an sonuerit
 duodecima, stante dubio, non teneris abstinere, sed
 potes pergere, & comedere carnes, quia possessio
 stat pro tua libertate, cum certum sit te libere pos-
 se tota illa die comedere carnes, incertum autem,
 an ille dies omninò finitus sit per mediam noctem;
 at verò nocte sequenti jejunium, cum dubitatur,
 num sonuerit duodecima, teneris adhuc abstinere
 nec potes comedere, præsertim carnes, donec de
 tempore constet; quia tunc è converso possessio
 stat pro lege jejunii, cum certum sit te obligari
 toto die Sabbathi v. g. jejunare, incertum autem,
 an ille dies per mediam noctem finitus sit. Ter-
 tium est tempus refectionis in jejunio, ut scilicet
 fiat hora competenti, non ante tempus meridia-
 num sed ab hora undecima incipiens, de quo ex
 professo infra.

- 6 IV. *Ab Ecclesia ordinata*; scilicet quoad tem-
 pus, & modum abstinendi. Dicitur autem *ordi-
 nata*, non *præcepta*; quia jejunium Ecclesiasti-
 cum dicitur non illud tantum, quod ab Ecclesia
 præcipitur, sed omne illud, quod observatur, vel
 assumitur secundum formam ab Ecclesia ordina-
 tam, seu præscriptam, sive dein observetur tali
 tempore ex ipso Præcepto Ecclesiæ, sive ex voto,
 vel Regula, sive omnino libere ex voluntaria de-
 votione. Ex hac definitione ita explicata, & com-
 muni DD, Sententia apud Azorium *cit. lib. 7. c. 8.*
Less. lib. 4. de justit. c. 2. dub. 2. Filliuc. *cit. c. 2.*
 tria essentialiter requiruntur ad omne jejunium
 Ec-

Ecclesiasticum. 1. Unica refectio continua. 2. Ut una illa refectio fiat hora competenti, ceu sit cæna, & non prandium. 3. Ut habeatur delectus ciborum seu abstinencia à carnibus, de quibus per distinctos §§. Et incipiendo ab hoc ultimo sit

§. II.

Quis delectus ciborum habendus, seu à quibus abstinendum in Jejunio Ecclesiastico?

ASSERTIO II.

Jejunium Ecclesiasticum de precepto requirit delectum ciborum, specialiter abstinenciam à carnibus, & in Quadragesima etiam ab ovis, & lacticiniis secluso privilegio, & consuetudine contraria: idque sub mortali toties, quoties. Est omnium Catholicorum contra Hæreticos nostri temporis, qui jejunia Sanctorum, & veteris Ecclesiæ solum explicant de abstinencia generali à cibus nimis, vel nimis lautis.

I. *Requirit delectum ciborum, specialiter abstinenciam à carnibus.* Jejunium Ecclesiasticum antiquissima lege, & consuetudine requirere delectum ciborum, seu abstinenciam particularem à certis in specie cibus amplissimè probant Exempla Scripturæ, & PP. omnium, ut latè videre potes Controversias apud Bellarm. lib. 2. de bon. oper. in particulari. Specialiter autem requirere abstinenciam à carnibus testantur omnes ferè SS. PP. quos latè congerit ideam Bellarmin. ibid. Idque statuitur variis Can. & CC. c. statuimus dist. 4. c. ninam. dist. 76. Concil. Tolet. VIII. c. 9. & c. Confirmat perpetua, & universalis consuetudo Ecclesiæ.

fiæ. Et denique ratio naturalis eandem rem persua-
det; nam finis jejunii est corporis concupiscentiam
edomare, & in servitutem redigere, ut docet D. Au-
gust. l. 30. *contra Faustum* c. 5. & omnes etiam Ad-
versarii fateri debent: atqui non poterat certa, &
communis regula constitui circa quantitatem, &
lautitiam ciborum in genere in ordine ad mortifi-
candam carnem, hæc enim infinitis modis varian-
tur, & quod uni est multum, alteri est parum,
quod uni est lautum, alteri non est lautum: ergo
debeuit constitui certa regula circa abstinentiam spe-
cialem ab aliquo genere cibi, qui ex genere suo
& ut plurimum magis nutrit, & magis delectat
talem cibum esse pecorum carnes, & volucrum,
omnes fatentur: rectè ergo in jejunio Ecclesiastico
indicta est abstinentia specialis à carnibus.

- 9 II. *Et in Quadragesima ab ovis, & lacticiniis.*
Jejunium Ecclesiasticum tempore Quadragesimæ,
non item aliis diebus jejuniorum: quando jure
communi etiam requirit abstinentiam ab ovis, &
lacticiniis, videlicet lacte, butyro, & caseo, &
quidquid ex lacte conficitur, hanc enim abstinen-
tiam tempore Quadragesimæ tam Clericis, quam
Laicis severè præcipit Synodus 6. *Trullana* Can.
56. Et c. denique dist. 4. D. Greg. ad August.
Anglorum Episc. ait: *Par est, ut quibus die-*
bus à carne animalium abstinemus, ab omni quo-
que, quæ sementinam carnis trahunt originem, je-
junemus, lacte videlicet, caseo, & ovis. Quam-
quidem abstinentiam de jure communi pro solo
tempore quadragesimæ, non item pro aliis die-
bus

bus jejuniorum obligare advertunt DD. communissime cum S. Thoma 2. 2. q. 147. & alii apud Castro Palaum p. 7. disp. 3. punct. 2. §. 1. Qui etiam observant, quoad hoc non esse consuetudinem eandem Ecclesiarum particularium, in quibusdam enim Ecclesiis usus ovorum, & lacticiniorum, omnibus jejuniorum diebus æqualiter prohibetur; in aliis autem etiam tempore Quadragesimæ permittitur: & ideo dictum

III. *Seclusio privilegio. vel consuetudine contra* IO
ria: quali de facto gaudemus Germani in omnibus Provinciis superioribus, nimirum ob penuriam ciborum quadragesimalium, præsertim olei, & piscium. Sed hic Quæstio gravis est: utrum in nostra Germania, vel aliis locis, ubi lege, consuetudine, vel speciali privilegio licitum est comedere ova, & lacticia, hoc ipso etiam liceat vesci sagimine, seu pinguedine expressa è lardo porcino, item adipe anserum, ac aliorum animalium, item sanguine animalium, farciminum &c. Ita affirmant graves DD. Gloss. in c. Presbyter dist. 82. v. sagimine. Hostiensis in summa Rub. de observat. jejun. Abbas in c. consuluit. n. 2. de Judais. Sylv. V. jejunium q. 5. n. 26. Ubi hanc Regulam tradunt: Cui conceditur usus ovorum, casei &c. intelligitur etiam usus sanguinis, seu lardi concessus. Et aliis cit. consentit Diana part. 1. tr. 9. Res. 21. Nec improbat Azor. p. 1. l. 7. c. 10. q. 18. Ratio est: quia, ut etiam docet Aristoteles, talis pinguedo non est caro, licet ex carne originem trahat, perinde, ac ova, butyrum, ac alia lacticia,

con

consequenter quando licet unum, licebit & alterum
& quidem à fortiori: mirum enim videatur licere
vesci butyro longè meliori, & non licere vesci fagi-
mine porcino; vel alia animalium adipe longè de-
teriori: & si liceat vesci lacte, quod substantiali-
ter sanguis est, accidentaliter tamen mutatus, &
melioratus, cur non liceat etiam vesci ipso sanguine.
Quæ Sententia quamvis speculativè, & Philosophicè
omnino probabilis sit, practicè tamen & Theo-
logicè opposita negativa longè probabilior & ca-
tior est, quam tenent Medina *lib. 1. instruct. c. 14.*
§. 10. Filiuc. *tract. 27. c. 3. q. 9.* Tabiena *V.*
jejunium *§. 8.* dicens, *nullo jure probari, ut*
comprehendi sub lacticinio, quia cum sit adeps car-
nis, potius ad carnes pertinet. Et Laym. hic *c. 1. n.*
§. qui rectè advertit quod consuetudo in nostris
partibus, consentientibus Prælati, inducta, ideo-
que pro lege tenenda, in diebus Quadragesimæ,
& jejuniorum permittat quidem usum ovorum &
lacticiniorum, non tamen ita usum sanguinis, lar-
di &c. cum ergo jure communi talia non liceant in
Quadragesima saltem, nec in nostris Regionibus
vi consuetudinis introductæ licita fieri possunt.
Accedit, quod magnum subsit periculum, si
ne data semel facultate utendi sanguine, & lardo
homines facilè extendant ad similia, v. g. farci-
mina sanguinis, & alia ob similem causam, quod
quidem ab aliquibus concedi, & à doctissimo
quodam Patre Societatis JESU in Aula Viennensi
fortiter defendi audivi, sed certè non sine gravi
scandalo, & jejunii Ecclesiastici detrimento. Ni-
hi

hilominus prædicta Sententia affirmativa, quia speculativè probabilis est, ad tria Confessarijs servire potest. *Primò*, ut pauperibus eam licentiam vescendi ejusmodi saginâ diebus jejuniorum facillè concedere possint ob causam paupertatis, & defectum butyri. *Secundò*, quòd ancillis, coquis, aliisque famulis, & servis facillè permitti possit, ut & coquant, & cocta comedant de sagimine, aliave pinguedine animalium, cum à Dominis jubentur, eisque comedenda proponuntur. *Tertiò*, ut etiam ditiores propter usum ejusmodi sagiminis in cibis condiendis diebus jejuniorum non facillè peccati mortalis condemnent, ne nihilominus utantur, & gravius peccent contra conscientiam. *Ratio est*: quia etsi consuetudo in nostris Regionibus non ita permittat usum sagiminis, sicut usum ovorum, & lacticiniorum, est tamen etiam communis persuasio, minorem esse prohibitionem sagiminis, quàm ipsiusmet carnis, ut proinde in his Regionibus, quibus esus ovorum, & lacticiniorum concessus est, propter magnam æquiparationem, vel similitudinem esus sagiminis censerì possit non ita gravis, & sufficiens ad peccatum mortale, ut rectè observat Laym. cit. c. 1. n. 5. Denique planè divitibus absque prorsus rationabili causâ simpliciter esus sagiminis nunquam permitti, sed semper dissuaderi debet ob rationem dictam: multò minùs esus jusculi carniùm, aus farciminum ex sanguine.

IV. *Itaq, sub mortali toties, quoties.* Ita communis sensus, & consensus Ecclesiæ, & DD. ac fidelium omnium, ut alia probatione vix indigeat:

nam grave peccatum alioquin mortale ex genere suo esse sine justa causa diebus jejuniorum comedere carnes, constat ex Can. 18. *Apost. Synod. Trullana. Can. 56. & Tollet. 8 Can. 9.* Ratio quia materia præcepti gravis est. Toties autem committi peccatum mortale, quoties quis sine justa causa diebus jejuniorum carnes comedit, dicitur in communis DD. cum Navar. c. 21. n. 14. ubi dicitur, quoties quis edit cibos vetitos, toties peccat mortaliter, secundum omnes. Et ratio est: quia præceptum abstinentiæ à carnibus in diebus jejuniorum negativum est, obligans ad semper, & pro semper, cum sine dubio mens Ecclesiæ sit diebus jejuniorum absolutè prohibere carnes: ut sensus sit nunquam die jejunii comedentur carnes: ergo quoties, quoties quis carnes comedit, contra præceptum, peccat mortaliter. Sed dixi *ex genere suo*. Nam sine dubio in hoc præcepto non edendi carnes in die jejunii datur aliqua parvitas materiæ à mortali excusans, sicut & in præcepto negativo non mandandi: ut cum aliis docent Diana cit. p. 5. tr. 5. r. 32. Tamb. lib. 4. c. §. 3. Volunt autem eam committenda esse parvam quantitatem excusantem à mortali, qualis coquo ad gustandum, vel dapiferis Principum ad prælibandum sufficit: sed certè nimis strictè, & scrupulosè. Ego non damnarem peccatum mortale eum, qui absque ulla necessitate, etiam in mera levitate, curiositate, vel gulositate die jejunii modicum frustillum carnis, v. g. instar nucis communis, mediam aviculam, vel quid simile devoret, quia præceptum Ecclesiæ piæ Mariæ non obstat.

Quod si rationabilis causa
 accedat, omni culpa vacabit, ut in coquis tunc die-
 bus jejunii cibos carniū prægustantibus. Addit
 bene Diana cit. fin. etiam infirmorum ministros
 posse quandoque licitè aliquid de carnibus edere,
 non tantum ad prælibandum, sed etiam ad excitan-
 dum infirmorum appetitum, & tollendum fasti-
 dium, si ita commodum videatur, nam in hīs est
 urgentior ratio charitatis, quam Ecclesia non in-
 tendit impedire, quàm in coquis, & dapiferis, ut
 ex Navarro & aliis etiam docet Sanchez in opuscul.
 tom. 2. lib. 1. c. 1. d. 22. n. 10.

§. III.

Qualiter in Jejuniis Ecclesiasticis requiratur una tantum refectio?

Jejunium Ecclesiasticum ex Veteri Lege, & con-
 suetudine requirit unam tantum refectionem
 moraliter continuatam, excludendo refectioes ite-
 ratas sub mortali, sed probabiliter prima tantum
 refectioe iterata incurrendo. Est itidem com-
 munitatis DD. Unicam enim refectionem requiri es-
 sentialiter ad jejunium Ecclesiasticum omnes con-
 sentiunt, & ita universali consuetudine Ecclesie
 interpretatum est præceptum jejunii, ut non liceat,
 nisi semel de die comedere, ut patet passim in Con-
 ciliis, SS. PP. & DD. Rationem assignat D. Tho-
 mas supra cit. c. 6, Quia jejunium Ecclesie in-
 stitutum est, ut corpus dometur, & non destrua-
 tur: domatur autem, & non destruitur corpus, si
 assuetum bis sumere, semel tantum sumere debeat:
 non domaretur, si nihil ommitteret, & destrueretur,

si nihil sumere deberet: ergo rectè indicta est una refectio: sed in hac unica refectioe, hoc ipso quòd unica sit, & alia sequi non debeat, plus accipi potest licitè, quam aliàs ordinariè sumitur intra tamen limites temperantiæ, ut omnes consentiant. Quod si quis in ea refectioe limites temperantiæ excederet nimium bibendo, edendo, peccaret quidem contra virtutem temperantiæ pro ratione excessus, plerumque ventriter, at non contra legem Ecclesiasticam jejuniæ quia revera unica refectioe contentus fuit, & non ageret contra finem jejunii, scilicet mortificationem carnis, finis enim præcepti non cadit sub præcepto: & meritum jejunii amittet saltem ex parte, si excessus comedendi vel bibendi tantum venialis fuit, in toto autem, si fuit excessus mortalis ut optimè admonet etiam S. Thomas. Jam reliqui termini specialiter explicandi sunt.

1. Requirit unam tantum refectioem moraliter continuatam.

13 **P**Ræceptum Jejuniæ Ecclesiasticæ eo ipso, quòd requirat refectioem unicam, etiam necessariorid requirit continuam refectioem, non quidem mathematicè continuam absque ullo temporis intervallo, sed moraliter continuam absque notabili intervallo, si enim notabili mora interrumpatur non unica, sed duplex refectio esset contra præceptum jejuniæ: idque non tantum verum est, quando utraque, vel alterutra refectio se sola sufficiens est homini ad cibandum, tunc enim frangeretur jejunium quoad substantiam peccato mortali secun-

dum omnes; sed etiam, quando neutra refectio est de se sufficiens: tunc enim adhuc frangitur jejuniū quoad modum refectiois unicæ ab Ecclesia præceptum, idque si absque rationabili causa fiat, peccato saltem veniali, si mora modica sit, vix mortali, nisi nimia esset mora, v. g. aliquot horarum. Cæterum multa hic excusare possunt à peccato, potissimum paupertas, officium, negotium. 1. *Paupertas* quidem, qualis est eorum, qui ostiatim mendicant, & omnium aliorum, qui non habent, quo unica refectioe sufficienter reficiantur, utique poterunt refectioem suam interrompere, & iterare, ut cum D. Thoma omnes admittere debent. 2. *Officium*, quomodo in Monasteriis lectores, & ministri mensæ, & aliàs famuli ministrantes mensæ, qui licitè possunt offam, vel aliud quid prius accipere, tum ad confirmandas vires, ut commodiùs ferviant, vel etiam famem non nihil sedent, ut notant *Azorius, Navar. Diana p. 4. tr. 4. res. 142.* Tum etiam, quia sumptio illa prævia censetur inchoatio moralis cænæ, quam postea justa de causa ad implendum servitium interrumpunt, ut notant *Lessius, Laym. cit. n. 6.* 3. *Negotium* denique, ut si refectioe, seu cæna nondum finita ob occurrens negotium discedere cogaris nondum satur, & absque intentione finiendi, confecto negotio reverti potes ad eam finiendam, præsertim intra modicum tempus, v. g. unius horæ; censetur enim moraliter unica refectio propter intentionem consideratis etiam circumstantiis negotii, loci, temporis: communis apud citt. Quin etiam si quis,

etsi utcumque, non tamen abunde satur, animæ
 refectionem finiendi à mensa recedat cum, vel
 negotio, adhuc mutata intentione durante
 cæna, redire posse, & comedere absque fractione
 junii, probabiliter docet Lessius *lib. 4. c. 2. d. 1.*
n. 11. Fillincius hic, qui addit insuper, etiam si
 finita fuisset, si tamen non omninò satis edisse
 tra modicum tempus, v. g. unius quadrantis, po-
 te refectionem instaurare, quia moraliter cen-
 tur unica resectio; nec dissentit Diana *p. 2. r.*
resol. 32. Oppositum tamen docent Navar. *c.*
n. 14. Valentia, alii cum Layman, talem
 posse redire citra peccatum saltem veniale, quia
 hoc casu repetitio comestionis non fit per accidens
 nec una intentione unitur moraliter, sed fit ex
 intentione contra priorem, adeoque respectu
 hominis non una moraliter, sed plures comestio-
 nes sunt. Sed tu elige sententiam, quæ magis placeat.

II. Excludendo refectiones iteratas.

14 JEjunium Ecclesiasticum, ita requirit refectionem
 nem unicam continuam, ut solum excludat
 alias iteratas veras refectiones, seu sumptiones
 cujus per modum cibi ad nutriendum corpus. Minime
 verò excludit alias sumptiones non per modum
 dum cibi vel refectionis, sed vel per modum medi-
 cinæ, vel per modum potûs; ut etiam Sotus
 in definitione jejunii generaliter prolatur, &
 particularius explicandum est. Inprimis
 non frangit jejunium, quidquid sumitur extra
 tempus refectionis purè per modum medicamenti
 ut non tantum sunt ipsa medicamenta seu phar-

ea præcisè ad avertendos morbos ordinata, sed etiam quidam veri cibi, alioquin ad nutriendum corpus apti, cum tamen in paucitate modica sumantur extra vel ante tempus refectionis, non ut cibi ad nutriendum, sed ut medicina solùm ad fovendam naturam. Ut si quis ad confortandum stomachum debilem, vel præ vacuitate defectionem metuens, vel ad tollendum oris foetorem, vel similem causam manè sumat offam, frustum panis, electuarium, aromata, saccarum &c. Item si musicus ad conservandam vocem manè sumat ovum recens, offulam, confectiones saccarias. Eadem ratio est de Professore publico, de Concionatore, qui plus à jejunio excusantur, ut *Sect. ult.* videbitur. Item cum quis extra tempus refectionis bibit quacunque de causa, licitè addit bolum panis, amygdala, vel aliud quid: quia id rationem medicinæ potius habet, ne noceat haustus, etsi per accidens nutriat: ut notant communiter DD. apud Laym. *cit. l. 4. rr. 8. c. 1. n. 7.* Item universaliter electuaria seu confecta sumere, non frangit jejunium, cum principaliter non sumantur ut alimenta, sed ut medicamenta, ur docet communis DD. cum ipso S. Thoma *cit. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3.* Qui meritò excipit omnes, nisi magna quantitate accipiant, adeoque plus per modum cibi, quàm medicinæ, & consequenter in detrimentum jejunii. Eadem denique ratione sumere fructus alioquos extra tempus. v. g. uvas, ficus, poma domestica vel peregrina in quantitate non magna, & non per modum cibi ad satiandum, sed potius per modum medicinæ, vel per modum potus ad refrigerandam

naturam, vel sitim restringendam &c. non frangere jejunium, rectè notat Diana *part. 9. tr. 9. resol. 24.* Excipe rursus, nisi in magna quantitate, adeoque per modum cibi saturantis potius accipiantur.

35 Deinde non frangit jejunium extra tempus refectionis bibere quemcunque purum potum, etiam vinum, cerevisiam, mulsum, uti contra nostrum Alensem docet communissima DD. cum D. Thoma *cit. a. 6.* Ratio est: quia tantum est in præcepto una comestio, non autem una potatio, uti communis jam usus interpretatur; & licet veteres Christiani diebus jejuniorum etiam vini usu abstinere debebant, ut latè probat Bellarm. *l. 2. de operibus.* modò tamen id Christianis consuetudo à temperate immemorabili concedit, ut licitus sit vini usus, etiam extra tempus refectionis sive ante sive post, ut habet communis Theol. & Canonist. cum Azorio *l. 7. c. 10. q. 7.* Laym. *cit. c. 1. n. 1.* Idque certum videtur, si bibatur vinum, vel alius potus præcisè per modum potus ad sedandam sitim. At quid si sumatur vinum, cerevisia, mulsum, non ad sedandam sitim, sed etiam aliquantulum ad frangendam, & nutriendum (cum revera aliquantulum nutriant cerevisia rubra, & mulsum) extra tempus refectionis? Frangere jejunium & illicitum esse docent S. Anton. Richardus, Rosella, alii cum Azorio modò *cit. c. 10. q. 4. in fine.* Oppositum tamen longè probabilius docent DD. communiter cum D. Thoma *cit. a. 7.* Navarro *c. 21. n. 13.* Layman. *cit. n. 7.* & plurimis citatis Diana *part. 1. tr. 9.*

tr. 9. Resol. 2. 3. Ratio à S. Thoma data est etiam: quia Ecclesia diebus jejuniorum tantum prohibet ea, quæ per se ordinantur ad nutriendum corpus: potus autem quicumque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus, sed potius ad sitim exinguentiam, naturam refrigerandam, & cibi concoctionem adjuvandam: & quamvis vinum, cerevisia, mulsum, per accidens aliquantulum nutriant, ejus tamen Ecclesia rationem non habuit: ergo si quis diebus jejunii bibat vinum, cerevisiam, mulsum &c. famis sedandæ gratiâ, adeoque quasi per modum cibi, non agit contra præceptum Ecclesiæ, etsi agat contra finem præcepti, quem non tenetur assequi. Alia est ratio de lacte, melle, pulvere amygdalina, jusculo carniæ &c. quæ ad nutriendum principaliter ordinantur, adeoque pota sine dubio jejunia violant, secundum omnes.

Insuper i vinum, cerevisia, mulsum &c. im-¹⁶ moderatè & excessivè bibens, puta usque ad ebrietatem, vel vomitum, peccat quidem contra virtutem temperantiæ pro ratione excessûs, mortaliter, vel venialiter, non tamen contra præceptum jejunii, quippè quo potus non prohibetur, ut dictum est: etsi deficiat à fine præcepti, scilicet mortificatione corporis, alioquin pro ratione excessûs mortalis, vel venialis, meritum jejunii in toto, vel in parte perdat (ut supra de una refectione excessiva dictum est) unde dici solet potum excessivum jejunium non frangere, sed submergere tantum. Ita communiter DD. apud sæpè citatos: etsi contrarium doceat noster Marchant *Trib. part. 2. tr. 2. tit. 3. q. 1.* quem vide, & si placet, sequere. *III.*

III. Sub mortali ex genere suo.

17 **C**ommunis DD. apud Bellarm. l. 2. de bonis operibus c. 7. Laym. hic c. 11. n. 12. Ratio est quia hæc est vera lex & præceptum Ecclesie in materia gravi, adeoque juxta rationem materiae obligans sub peccato gravi ex genere suo: adeo ut extra tempus competentis refectionis sumere aliquid cibi in quantitate notabili sit peccatum mortale, in quantitate verò modica, & non notabili, veniale tantum, nisi rationabilis causa omninò excuset: etenim in hoc præcepto dari parvitatem materiae à mortali excusantem, omnes consentiunt, quavis in assignanda illa parvitate materiae maximè discrepent.

Placet judicium Dianæ par. 5. tr. 5. resol. 11. Materiam parvam hic censerì circiter duarum uncularum, quæ est pars quarta collationis seu refectionis unculæ vespertinæ: adeo ut sicut pro collatione vespertina damus quartam partem cænæ ordinariæ, ita ejusdem collationis quartam partem admittimus pro parva materia, veniali culpa in fractione jejunii: ita ut ejusdem collationis quantitatem totam, vel plus, quàm mediam comedere, absque omni causa extra tempus refectionis ascenderet ad peccatum mortale in fractione jejunii. Ubi tamen nota ex materia de peccatis: multas materias parvas distinctis vicibus extra tempus refectionis sumptas, tandem concrefcere in materiam gravem, & frangentem jejunium mortaliter, quia continuantur in affectu refectionis, nec opus est, ut fiant
ex

ex prævia intentione voluntatis, sed sufficit, quòd quis sapius extra tempus quid modicum comedens advertat tandem se notabilem quantitatem congregare, quo adverso, sumptâ adhuc bucellâ peccabit mortaliter, eadem ratione, sicut in materia furti communiter explicant DD.

IV. Sed probabiliter prima tantum refectione iterata incurrenda.

Quæstio hic præcipua est; an sicut de præcepto abstinentiæ à carnibus dictum est, ita etiam in præcepto refectionis unice peccetur mortaliter, toties, quoties quis extra tempus refectionis aliquid sumit in quantitate notabili, an verò in prima sumptione tantum?

Resolutio pendet ex mente Ecclesiæ. Potuit enim Ecclesia ita præcipere unam refectionem, ut simpliciter prohibeat omnes alias (quemadmodum præcipit unam tantum in die communionem vel celebrationem) adeò ut, quoties quis ultra eam reficitur, toties peccet contra præceptum negativum, & ita quidem esse affirmant *Medina, Covarruvias, & alii nonnulli*. Vel potuit Ecclesia ita præcipere unam refectionem, ut alias refectiones solum excludat limitate, quatenus nimium destruunt formam jejunii quoad unitatem refectionis: & sic certum est sola secunda comestione notabili peccari mortaliter, & non aliis sequentibus. Atque ita affirmat jam communis & veterior sententia DD. Navar. sæpe cit. Cajet. Sylvest. Angelus, aliique plurimi apud Less. *cit. lib. 4. c. 2. dub.*

2. dub. 3. Laym. c. 1. n. 13. Diana par. 1. tr. 9. resol. 44. Ratio est: Quia eatenus peccatur contra præceptum jejunii, quatenus frangitur jejunium: atqui jejunium, quatenus consistit in una refectione, semel tantum potest frangi, scilicet in secunda refectione, non item in aliis sequentibus: postquam enim semel altera vice sufficienter refectus fuisti, jam perit forma jejunii quoad unicam refectionem: & sicut non potest amplius refarciri, ut sit una refectio, cum altera præcesserit, ita etiam non potest amplius frangi per subsequentes refectiones, ut evidens est: ergo in sola secunda refectione notabili peccatur mortaliter contra præceptum jejunii, consequenter, postquam quis semel secunda vice refectus, jejunium fregit, non tenerur amplius abstinere à comedendo (exceptis carnibus) saltem sub mortali (probabiliter enim Filliuc. cit. censet in aliis refectionibus adhuc peccari venialiter, quia videntur secundario adhuc prohibita.) Addunt Laym. & Diana citt. eandem esse rationem, sive quis scienter justa vel injusta ex causa, sic & ignoranter vel inadvertenter, v. g. non recordatus jejunii, altera vice reficiendo jejunium fregit, non teneri amplius abstinere, nec peccare ulterius comedendo, semper enim verum est dicere, jejunium fractum esse quoad unicam refectionem, & cessat finis præcepti, scilicet mortificatio carnis, ut talis deinceps servari non possit, secundum formam Ecclesiæ. Eandem rationem esse de eo, qui vovisset jejunare in pane & aqua, & jam

jam semel vinum bibendo votum fregit, jam au-
divisti supra in materia voti.

§. IV.

*Qua hora debeat fieri refectio in Jejunio
Ecclesiastico.*

Jejunium Ecclesiasticum ex antiquâ Ecclesiæ in-19
stitutione & consuetudine requirit, ut refectio
illa unica sit cæna, non prandium, adeoque fiat
hora competenti, qualis olim fuit in Quadragesi-
ma quidem vespertina; in aliis jejniis hora 9.
post meridiem. Ita exemplo Scripturæ affirmant,
& probant testimonia Sanctorum PP. passim, quos
late videre potes apud Bellarm. cit. c. 2. & meum
Marchant. locis cit. Instar omnium sit D. Bern.
*Serm. 3. Quadrages. Hæc tennus usque ad nonam jeju-
navimus soli: nunc autem usque ad vesperam je-
junabunt nobiscum universi, Reges & Principes, Cle-
rus, & populus, nobiles & ignobiles simul in unum
dives & pauper.* Et negari non potest olim horam
determinatam illam, tanquam quid substantiale re-
quisitum ad jejunium obligasse sub peccato morta-
li: atque ut observat Laym cit. c. 1. n. 11: olim
peccatum mortale fuisse tempus refectiois notabi-
liter anticipando, jejunium solvere, seu cænam in
prandium commutare sine justa causa. Verum
nunc de jejunio Ecclesiastico, prout moderno tem-
pore observari debet, pono breves

RESOLUTIONES.

I. Hora competens refectiois capiendæ in om-20
nibus jejniis Ecclesiasticis in & extra
Quadragesimam ex recepta jam consuetudine &
indul-

indulgentia Ecclesiæ, cui omninò standum est, est hora sexta proximà meridiei, apud nos undecimà. *Omnes.* Cùm enim homines ob corporis & naturæ semper magis declinantis infirmitatem, amplius tam diu in jejuniò non perseverârunt, Ecclesià pia Mater jus commune relaxavit, & refectiõnem aliàs tanquam cænam hora vespertina vel nona sumendam, hora sexta sumi indulsit, & reipsa quidem in prandium commutavit: attamen ob memoriã antiquitatis edendo nomine cæna. Unde & ordinavit, ut in ipsã refectiõne meridiana dicantur præces mensales pro cæna assignatæ, & ut in Quadragesima Vesperæ, & aliis diebus jejunii Nonã semper ante refectiõnem meridianam dicatur. Cæpit ea consuetudo in meridie reficiendi fere temporibus S. Thomæ Aquinatis circa annum Christi 1270. Ut insinuat ipse S. Thomas sæpè cit. q. 177. a. 7. & referunt DD. communiter etiam citati. &c. Observandum autem est, horam meridianam nunc ad jejunium Ecclesiasticum requiri, & præcipi negativè tantùm, nimirùm, ne ante illam horam cibus sumatur, ut mox declarabitur, non verò positivè, quasi necesse sit hora meridiei cibum sumere, & non liceat diutiùs abstinere, & jejunium protrahere. Non enim tantùm licitum, sed sine dubio sanctum & meritorium, longèque præstabilius est, jejunium veteri more protrahere usque ad Vesperas, vel saltem Nonam. Tum quia conformius est veteri Ecclesiæ, & sanctorum jejunio; Tum quia est major mortificatio carnis, adeoque con-

conformiùs intentioni Ecclesiæ, & fini jejuniorum, ut rectè mōnent *Navar. Lessius, Filliuc, cir.*

II. Hora determinata refectionis, scilicet modò ²¹ meridiana, non est de essentia jejunii Ecclesiastici, sicut est abstinentià à carnibus, & unica refeccio. Communior & probabilior sententia DD. *cum Less. Fihinc. Laym. cir.* Ratio est: quia jejunium Ecclesiasticum hætenùs semper perseveravit idem, & immutatum, quoad abstinentiam à carnibus, & unicam refeccionem; at quoad tempus comestionis hætenùs sæpiùs mutatum fuit; nam imprimis hora vespertina mutata est in nonam, modò utraq̃ retracta est in sextam seu meridianam; ejusque signum est, horam determinatam non esse ita de essentia jejunii, sicut est abstinentia à carnibus, & unica refeccio. Deinde illud non est de essentia jejunii, quò prætermisso non frangitur, sed adhuc potest, & debet observari jejunium: sed si quis reliqua servavit, scilicet abstinentiam à carnibus, & unicam refeccionem, etsi horam competentem notabiliter præveniret, is non frangeret jejunium, sed posset, & teneretur adhuc jejunare reliquo die: quis enim dicat, eum, qui cum, vel sine causa horam refectionis una vel aliquot hōris anticipavit, non teneri ampliùs eo die jejunare, sicut eum, qui secunda vice refectus est, jejunium fregit? ut perperam docuit quidam: ergo hora determinata refectionis non est de essentia jejunii, sed solum conditio accidentalis, cum cujus violatione substantia jejunii Ecclesiastici consistere potest, ipsùmque jejunium non quoad substantiam, sed quoad modum tam.

tantum secundarium præceptum violatur, & hoc solum probant Canonistæ, & DD. numero sequi adferendi &c. Itaque qui siue voluntariè, cum vel sine iusta causa, siue involuntariè & inadvertenter, scilicet ignorans vel non recordans esse diem jejunii, & uno verbo, qui cum, vel sine culpa ante horam determinatam meridianam se reficit v. g. mane sumit jentaculum (dummodò carnes vel cibos viticos non comedat) sicut potest adhuc præceptum jejunii quoad substantiam servari, sic etiam tenetur observare, & sic deinceps. Aut enim sumptum manè jentaculum fuit sufficiens refectio, & tunc contentus esse potest, & debet vespertina collatione infra admittenda; aut non fuit sufficiens refectio: & tunc justam causam habet vel circa meridiem moderatè prandendi, aut intermisso prandio vesperi cænandi, jentaculo illo matutino pro collatiuncula vespertina reputato & commutato. Communis DD. *Navar. c. 21. n. 23. Less. l. 4. c. 2. dub. 3. Laym. cit. n. 14. Diana par. 1. tr. 9. resol. 48.* Quare non placet Sententia Palud. Sylv. & aliorum: quod si quis nesciens aut immemor, esse diem jejunii, manè jentaculum sumpsit, posse nihilominus absolutè cum aliis prandere ac si nihil omninò sumpsisset, propterea, quòd jejuniùm non voluntariè & formaliter, sed materialiter tantum violetur. Non placet, inquam. Talis enim sumendo jentaculum, vel comedendo ante tempus refectiois, adhuc nullo modo jejuniùm violavit, cum possit adhuc servari quoad substantiam, postea autem, si sumpto bono jentaculo iterum prandeat, violabit je-

jejunium omni modo, & formaliter, & materialiter, ac quoad substantiam, iterata scilicet refectio-
ne notabili.

III. Jejunium Ecclesiasticum quoad horam de-
terminatam in Ecclesia modo meridianam seu un-
decimam, obligare sub peccato, omnes agnoscunt:
& quidem etiam hodie obligare sub mortali, adeo,
ut peccatum mortale sit, eam horam notabili tem-
pore, saltem unius horæ præveniendò sine justa
causa reficere, docent sanè gravissimi DD. Navar.
c. 21. num. 27. Covar. Pland. Sancius, alii &
mordicus noster Marchant. hic tr. 12. tit. 3. q. 2.
asserens esse communem Ecclesiæ sensum, à quo
recedere temerarium sit. Rationem dant. Quia
qui Ecclesiasticum jejunium notabiliter violavit,
peccat mortaliter: sed notabili anticipatione re-
fectionis ante horam determinatam notabiliter vio-
latur jejunium; nam & olim præveniens reficiendo
horam vespertinam, vel nonam non censebatur je-
junare, adeoque simpliciter violare jejunium;
nunc autem refectio meridiana successit veteri re-
fectioni vespertinæ; consequenter & hanc nota-
biliter sine justa causa præveniens censebitur non
jejunare, sed frangere jejunium. Deinde præscri-
ptio horæ meridianæ facta est tanquam notabiliter
conducens ad finem jejunii, scilicet mortificatio-
nem carnis, atque augens jejunii difficultatem, &
jejunantis meritum; atqui notabiliter prævenien-
do horam præscriptam tollitur iste finis, adeoque
violatur jejunium: ergo notabiliter præveniens ho-
ram præscriptam peccat mortaliter. Cæterum

omnes consentiunt, notabilem præventionem esse unicâ horâ, & amplius ante horam ordinariam præventionem autem non notabilem, adeoque veniale tantum esse unius quadrantis vel mediæ horæ circiter ob parvitatem materiæ, ut fatetur ipse Marchant. loco cit. Sententia utique probabilis, tutior & magis pia, adeoque in praxi consulenda.

23 IV. Nihilominus æquè probabilis est Sententia negativa, nimirum horam præscriptam etiam notabiliter, & sine etiam justa causa prævenire recusando, esse solum peccatum veniale. Ita communior DD. *Innocen. Angel. Tolet. Medina*, alii cum *Lessio & Layman supra cit. & plurimis citatis Diana part. 1. tr. 9. resol. 33.* Ratio est: Quia licet præveniendi non violatur jejunium quoad substantiam, ut N. II. probatum; sed solum quoad conditionem accidentalem ex præcepto requisitam, & quamvis hæc ipsa conditio non reficiendi, nisi horâ statutâ, scilicet vespertinâ vel nonâ olim obligârit sub mortali, quin etiam dato, quòd tunc fuerit de substantia jejunii Ecclesiastici, ut volunt Authores oppositæ Sententiæ, erat enim gravissima mortificatio, quæ semel anticipatâ notabiliter horâ, posteriori abstinentia non poterat compensari: at tamen spectata hodierna Ecclesiæ consuetudine, quæ cæna in prandium seu tempus meridianum, quo homines communiter prandere solent, translata est jam tempus ordinarium, non videtur amplius admodum ad substantiam pertinere jejunii, neque ad ejus finem: cum mortificatio seu difficultas, quæ minuitur anticipando refectionem ante meridiem, e contra postea augeatur, & compensetur

setur ulteriori dilatione collatiunculae vespertinae: adeoque tempus statutum esse solum quid accidentale & secundario requisitum ad jejunium Ecclesiasticum: cujus proinde praetermissio seu anticipatio etiam notabili tempore facta sine justa causa censeri debeat tantum culpa venialis: ut recte inferit Layman. cit. n. 11. In hac ergo probabilissima Sententia horam refectionis meridianam praevénire per tempus non notabile, utpote quadrantem vel mediam horam circiter, nullum omnino peccatum erit, cum enim neque notabili tempore praevénire sit culpa gravis, tempore non notabili praevénire nulla esse potest culpa. Praevénire autem tempore notabili horam v. g. jam incipit esse culpa venialis, eoque gravior, quanto ab eo longius receditur; nunquam tamen pertinget ad culpam mortalem ob causam dictam. Intellige semper *absque causa legitima*; quod si enim causa justa & rationabilis interveniat, nulla omnino culpa erit, tempus refectionis etiam notabiliter praevénire. Cujusmodi causae sunt. 1. Iter inchoandum ex justa causa etiam liberae devotionis, peregrinationis. 2. Impedimentum vel negotium urgens, quod refectionem meridianam impediatur, ut quando Concio habenda, lectio frequentanda, aliudve negotium in meridie. 3. Item infirmitas corporis, quae non permittit tantum temporis expectare, & manere jejunum. 4. Hospitalitas seu Urbanitas, ut si amicus, viator, vel alius veniat ad te, qui causam itineris vel alterius negotii debeat anticipare comestionem, & ei concedere, vel se coaptare conveniens sit &c. In

516 *Appendix ad III. Præcept. Decal.*
his & similibus nullum agnoscunt peccatum DD.
communiter, etiam Marchant. cit. q. 2. n. 3.

SECTIO II.

*Qualiter licita est Collatio, seu refectiuncula
vespertina, in qua quantitate & qualita-
tate ciborum?*

SUMMARIUM.

25. Collatio vespertina licita est ex consuetudine.
26. In quantitate tamen modica: qua communiter censetur
esse quarta pars cœna ordinaria. Usque ad 30.
30. Usque ad n. 33. Et in qualitate ciborum: ubi: quod
cibos sumere liceat in collatione?
33. Tempus vespertinum collationis ex rationabili causa cum
prandio commutare licet.

ASSERTIO III.

24 **L**icita modo est collatio seu refectiuncula vespertina in quantitate modica, & qualitate ciborum competente: tamen si ex rationabili causa cum refectio meridiana commutare liceat. Com. DD. Explico breviter.

§. I.

Licita est collatio &c.

25 **N**ullo quidem Jure communi, cum de Jure communi ipsa refectio unica jejunii Ecclesiastici debuerit sumi tempore vespertino, postquam nihil omnino cibi licebat amplius sumere (unde Jejunium definiri solet: Prandii & post cenam cuiuslibet cibi subtractio) sed solum consuetudine legitima præscripta licita est modo illa collatio, ut observat communis DD. apud citatos. Nam postquam ipsa refectio unica jejunii à tempore vesperti-

no translata est in horam meridianam : quia fideles, si post tam maturam refectionem toto reliquo die nihil amplius cibi sumere deberent, difficile possent somnum capere, & potus ad refrigerandam naturam, sitimque sedandam necessario sumendus facile nocere posset valetudini. Simili consuetudine rationabili jam ubique recepta & præscripta introducta est illa cœnula seu refectiuncula vespertina, non tantum per modum medicinæ ad conciliandum somnum, vel ne potus noceat, verum etiam per modum cibi sumenda. Quia etiam si illa consuetudo à principio inceperit ex necessitate, ne somnus impediatur, & potus noceat, tamen consuetudo ita invaluit, ut absolutè liceat per modum cibi reficientis, etiam si hinc & nunc non esset necessaria ob somnum, vel nocementum potus, uti observant DD. communiter cum Navar. *Lessio l. 4. c. 2. dub. 2.* Porrò sicut illa ipsa collatiuncula vespertina præcisè introducta & licita facta est per consuetudinem, ita etiam ejusdem quantitas & qualitas licita secundum consuetudinem & æstimationem piorum, & DD. regulanda & definienda est, ut ex Abbate rectè notat *Laym. cit.*

§. II.

In quantitate modica.

Modicam debere esse quantitatem, omnes conveniunt: quò minor, eò melior: at verò quantum, & in quam quantitate modica liceat cibum capere in refectiuncula illa, tot sunt Sententiæ, quot capita. Aliqui mensuras mathematicas præfigunt. Nam *Grassus* permittit tres un-

nicas, *Homo bonus* permittit quatuor, *Villabon*
 concedit sex, *Fagundes & Tambur.* infra citant
 octo uncias admittunt, id est, ferè mediam libram
 nostram in refectiuuncula vespertina. Alii alia com-
 miniscuntur. Alii rectius docent, non posse
 nam generalem pro omnibus quantitatem secun-
 dum pondus & mensuram determinari, sed variam
 esse posse pro varietate personarum & ætatis, edu-
 cationis, occupationis; item regionis calidioris vel
 frigidioris; & sanè verissimum est; sine dubio
 enim plus indiget & sumere potest homo proventus
 ætatis, quàm puer; homo nobilis pluribus & di-
 licationibus assuetus, quàm vulgaris; homo plu-
 ribus occupationibus vel laboribus exercitatus,
 quàm vacans; homo degens in his regionibus
 frigidioribus, quàm in regionibus calidis Italiae,
 Hispaniæ &c. Ad hoc tamen, ut aliqualis recta
 regula assignetur pro omnibus, placet Sententia
 Reginaldi in praxi sua *tom. 2. l. 4. n. 185.* *Fillius*
tract. 2. 1. par. 0. 2. q. 7. & *Laym. hic cap. 1. n. 9.*
 Quantitatem modicam pro collatione vespertina li-
 citè, & sine scrupulo, censei quartam partem cæ-
 næ ordinariæ, quàm quis aliàs, spectatâ suâ perso-
 nâ, ætate, conditione, occupatione, regione, or-
 dinariè ad sufficientiam naturæ sumere solet. *Ratio*
est; quia etiam in aliis præceptis, ut auditione
 Missæ, recitatione Horarum, semper quarta pars
 censei modica, & non notabilis, (nisi totum es-
 set valde notabile magnum) cum ergo homo pro
 cæna ordinaria, non ita magnam quantitatem ede-
 re soleat, meritò quarta pars cænæ ordinariæ censei

ri potest quantitas modica, quam quis pro refecti-
 uncula vespertina ad confortandam naturam lici-
 tē sumere possit. v. g. Si in cæna ordinariē soleas su-
 mēre libram, poteris in collatiuncula sumere qua-
 drantem libræ, in qualitate competente infra assi-
 gnanda. Est hæc regula plana & universalis, ut cui-
 vis hominum statui & conditioni facillimè appli-
 cetur, estque hæc recepta opinio DD. in Germania:
 quamvis Authores citt. *Diana*, *Turrianus*, & alii
 nimis laxam, improbabilem & minùs tutam in pra-
 xi proclamant. Mittant illi Germanis tempore je-
 junii suum calidum cælum, cibum, & vina pingua,
 fructus & confecta &c. & jejunabimus cum ipsis.

Nec etiam nimis recedit à nostra sententia opinio²⁷
 Villalobi, & Tamburini l. 4. c. 5. §. 3. qui ait re-
 ceptam esse RR. opinionem, cœnulam vesperti-
 nam ascendere posse ad octo circiter uncias, id est,
 mediam circiter libram ex cōsuetudine legitime
 introducta, idque universaliter respectu omnium,
 sive aliàs magnâ, sive modicâ cænâ utentium; sive
 robustorum, sive infirmorum, etiam eorum, qui-
 bus octo unciis fames omninò extinguitur. Et
 sanè si constaret de ejusmodi consuetudine legiti-
 mē introducta, hæc Sententia multum faceret ad
 eximendos scrupulos religiosioribus. Atque in
 particulari convenit cum nostra regula: si quis enim
 in cœna soleat sumere ad triginta uncias, duas circi-
 ter libras, quarta pars licitè ascendet ad 8. uncias,
 mediam circiter libram.

Itaque in hac nostra probabili & tuta sententia²⁸
 tunc demum in cænula nocturna excedi, & jeju-
 nium

nium frangi censebitur, quando id, quod sumitur, notabiliter excedit quartam partem ejus quantitatis, quæ ad integram carnem sufficeret, seu ultra mediam libram, nisi & hoc aliqua causa excuset à peccato, uti est corporis teneritudo, assuefactio &c. qua ratione personis nobilioribus plus permitti potest. Item occupatio diurna; qua ratione assiduo studio occupatis plus permittitur. Item occupatio futura nocturna; qua ratione in Vigilia Nativitatis Domini permessa est collatio duplò major propter Officium nocturnum, cui omnes fideles interesse solent; uti observat *Filluc. cit. Turrianus, & alii cum Diana part. 5. tract. 5. resol. 12.* Eadem est ratio de aliis similibus casibus.

§. III.

In qualitate ciborum.

39 **E**Xclusis carnibus vel aliis cibis vetitis, in superlectum habendum, ut non liceat quemcumque sumere, docet sanè communis DD. Sententia, & oppositum falsum, & improbabile censet *Diana p. 1. tract. 9. resol. 1.*

33 **I.** Communis ergo est sententia Navarri *c. 21. n. 13.* Tolleti *lib. 6. c. 2.* Filliuc. *c. 2. dub. 6.* & aliorum cum Diana *cit. & p. 10. tr. 14. resol. 57.* collatiunculam sumendam esse in modico pane, fructibus arborum, herbis bellariis tantum; quæ nimirum solum in jentaculis, vel merendis apponi solet, vel in refectionibus præmitti ad excitandum appetitum, vel postponi ad sigillandum cibum, ait *Dian. cit.* adeò ut jejunans etiam in refectioniuncula

ve-

vesper
prie d
in ipsi
sunt o
cocta
docen
parvit
tudo,
quanti
scripsi
muni
vel sec
cibus l
pira,
piscicu
fumo
inter l
Laym
lã esse
endã
II.
tibus
casei,
Filliuc
Paner
rius &
vis ali
ter au
liceat
ta sun
pane,
Affir

vespertina teneatur abstinere ab omnibus cibis proprie dictis, qui nimirum ad sustentandam naturam, in ipsis refectionibus ut tercula apponi solent, ut sunt omnes pisces cocti, ova, lacticia, legumina, cocta, aliique cibi substantiales: idque (ut plerique docent) sub peccato mortali ex genere suo, nisi parvitas materiae excuset. *Ratio est*: quia consuetudo, quae ipsam collationem introduxit, etiam quantitatem, & qualitatem cibi licite sumendi praescripsit: atqui (sicut ait Azorius, lib. 7. c. 8. q. 7.) communi usu receptum est, ut parum panis edatur, vel seorsim, vel una cum fructibus, herbis vel aliis cibis levioribus, ut sunt ficus, uvae passae, nuges, pira, poma vel ex saccharo & molle confecta, vel pisciculus parvulus, (intelligit non coctum, sed fumo duratum, vel maceratum acetô, qualis etiam inter leviores cibos numeratur in Jure, ut observat Laym. cit. n. 9.) & q. 8. postea ait Azorius: *corruptela esse, si ii cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina & pisces.* Hæc ille.

II. Plerique tamen, praesertim pro nostris partibus aliquantulum plus indulgent. Modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdalinæ concedunt *Filluc. & Laym. cit.* hic addit placentas nostras. Panem coctum cum amygdalis concedunt *Azorius & alii cum Diana p. 1. tr. 9. resol. 34.* quamvis alii non pauci negent apud eundem. Graviter autem controvertunt: an in collatione saltem liceat sumere juscula cocta, ex ipsis illis, quae licita sunt in collatione. v. g. ex vino, vel cerevisia? pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita, Affirmant multi, Azorius cit. q. 8. Drexelius suo

Aloe. Basseus de jubileo q. 4. casu. 18. & probabile
tenet Laym. cit. n. 9. Quod si enim in collatio-
 nelicitum est seorsim bibere vinum vel cerevisiam,
 & comedere panem, fructus, herbas, ac modicum
 cum butyrum, cur non liceat ex ejusmodi com-
 mixtis & calefactis confectum jusculum, vel pul-
 tem comedere? cum nihil referat, calidumne, vel
 frigidum sumat.

32 Verum negant licete æquè multi, *Filliuc. cit. q. 6.*
 aliisque cum *Diana proximè cit. & mirabile dictum*
ipse Laym. cit. n. 8. Ratio est: quia tunc fieri
 aliud genus ferculi, quod non ingredi solet jentacu-
 lum, sed apponitur in mensis ad alendum: negari
 enim non potest, quòd ignis concoctio plurimum
 mutet materiam subjectam, ut alium ex eo cibum
 efficiat, nutritioni magis inservientem. Hæc &
 similia plura disputant DD. quilibet in suo sensu ab-
 undans. Et sine dubio in rigore loquendo, & spe-
 ctata antiqua consuetudine collationis introductæ
 verissima sunt, & omnibus probis consulenda cel-
 sante necessitate, vel causa legitima. At verò spe-
 ctata moderna consuetudine, præsertim in nostra
 Germania jam diu tolerata, & planè invalescente,
 censeo non tantum omnia prædicta licitissimè ablu-
 mi in collatione, sed etiam omnino probabilem,
 & tutam esse sententiam oppositam, nimirum in
 collatione vespertina jejuniæ non esse attendendam
 qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum: ad-
 eò ut ex omnibus cibis, qui die jejunii licitè possunt
 sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus,
 placentis, ovis, lacticiniis &c. in quantitate modica

ea antè determinata, etiam liceat sumere in cœna
ita expressè docent Cajet. *V. Jejunium c. 1. fin.* di-
cens: *non referre, quid quis in serotino jentacu-*
lo sumat, si modum non excedat. Et aliis citatis
Bonacina *de legibus disp. ult. punct. 3. q. 1.* & no-
vissimè noster Petrus Marchant. *Tribun. p. 2. tr.*
12. tit. 3. q. 3. dub. 1. his omninò verbis: *Respon-*
deo ego: in collatiuncula vespertina de qualitate
sibi non esse altereandum, sed de quantitate denta-
rat: fundor: quia collatiuncula illa tolerata vel
permissa est ad aliquam confortationem naturæ pro-
pter infirmitatem humanam: quid igitur refert, quo
cibo illa confortatio fiat? modò non excedatur, &
cibus abstinentia jejunii sit accommodatus &c. Ideò
sensèo qualitatem cibi (modò ex prohibitis in die-
bus jejuniorum non sit) collationem non vitare, sed
in quantitate non excedatur. Hæc ille.

Ego miror P. Paulum Layman, aliàs tam bo-
num Germanum in hac sola materia patriotis suis
fuisse tam austerum.

§. IV.

Quam ex rationabili causa cum refectione me-
ridiana commutare licet.

Refectiunculæ vespertinæ tempus ordinarium, 3 3
sine dubio est vespertinum: adeò ut absque
omni causa pro mero libitu eam commutare, manè
sumendo, & vesperi cœnare non licere citra venia-
le, doceat communis & vera sententia DD. *Cajet.*
Navar. Tolet. Filluc. Laym. ll. cit. quia violaretur
aliqua circumstantia jejunii per consuetudinem in-
dueta, idque contra modernam uniformitatem Ec-
clesiæ. At verò si quæcunque causa rationabilis
acce-

accedat, licitum esse, omnes uno ore concedunt etiam noster Marchant. cit. q. 3. dub. 3. dicens Ratio mihi clara est: quia si Mater Ecclesia comedente in meridie dispenset, ut collatiunculam vespere sumat ad confortationem, ne deficiat, hoc condescendens humana infirmitati; potior dispensationis ratio est in eo, qui ut in die agat, aliudve negotium commodè exerceat, vespere usque suam cenam transfert, & collatiunculam sumit; & in eo est majus periculum deficiantia. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omninò secunda conscientia concludi existimo. Haec praxis communi usui timoratorum indies confirmatur. Hæc Marchantius verissimè.

SECTIO III.

Quinam obligentur ad Jejunium Ecclesiasticum & qualiter?

SUMMARIA.

34. Usque ad n. 37. *Qui, quando, & qualiter, obligentur ad jejunium:*
37. Transgressus jejunium accidentaliter tantùm, illud ad hoc servare tenetur de reliquo.
38. Transgressus autem illud semel quoad substantiam, amplius servare non tenetur, nisi quoad carnes.
39. Qui illud fregit comedendo carnes, etiam semel tantùm tenetur deinceps abstinere à carnibus, non verò ab aliis cibis.
40. Dispensatus ad carnes ob infirmitatem, censetur etiam dispensatus ad alteram refectioem; non verò si dispensatus sit ad carnes ob alias causas.
41. Obligatio jejuniæ ita affixa est diei statuto, ut privata auctoritate transferri non possit. Unde

42. Qui stato die non jejunabit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non tenetur supplere alio die. Aliud est de jejunio ex voto, vel Penitentia debito.

43. Qualiter transgressio jejunii explicanda in Confessione &

44. Quando ea unum numero peccatum, vel multo lex &

45. Quando, & qualiter peccent aliis proximè cooperantes ad frangendum jejunium, ut Patres & Matres-familias Domini, superiores, Caupones &c.

ASSERTIO III.

Omnis Christianus adultus rationis compos, obligatur sub mortali servare jejunia Ecclesiastica, quoad essentialia, statis diebus; neque aliis ad frangendum jejunium proximè cooperari. Hæc tota sequitur ex hæctenus dictis, ideoque previter explico, & ad præxin applico.

§. I.

Omnis Christianus adultus rationis compos;

In fideles enim, sicut non subjiciuntur Ecclesiæ, ita non possunt obligari ejus legibus, qualis est etiam præceptum jejunii. Item infantes ante septimum annum completum, cum adhuc censentur rationis impotes: similiter & perpetuò amentes, sicut non possunt obligari, præsertim positivis legibus & præceptis, ita neque obligantur lege Ecclesiastici Jejunii: adedque eis licitè possunt dari etiam carnes, & refectioes toties, quoties, (intellige per se, nisi ex parte dantium scandalum oriatur, aut contemptus præcepti intendatur) Com. DD. cum Sanchez. l. 1. in Decal. c. 12. n. 9. Filliuc. c. 3. d. 7. Diana. p. 1. rr. 9. resolut. 42. Addit Sancius hic disp. 41. n. 31. etiam verum esse, etiamsi puer an-

te septennium rationis & doli capax sit; nam peccat
 accidens est, quòd usus rationis in aliquo accelera-
 tur: Jus autem positivum non intendit obligare, nisi
 in illa ætate, in qua communiter usus rationis ac-
 quiritur, qualis ferè esse solet septennium comple-
 tum. Adde etiam, nec posse demum obligari jeju-
 nio etiam quoad carnes, si certo constet, eos usum
 rationis nondum accepisse, ob rationem datam: qui
 revera manent incapaces præcepti. At verò post sep-
 tennium quamprimùm pueri usum rationis conse-
 cuti sunt (quod etiam in dubio præsumitur) etiam
 nondum teneatur jejunio, quoad unicam refe-
 ctionem, tenentur tamen abstinere à carnibus;
 quia ita testatur communis consuetudo, optima le-
 gum interpret: nisi aliundè excusentur: iis ergo
 exceptis, & seclusa causa legitima excusante aliqua
 (de quibus q. statim seq. & ult.) omnes Christiani
 adulti cujuscunq; statûs vel conditionis obligantur
 præcepto jejunii Ecclesiastici, ut docent unanimi-
 ter DD. cum D. Thom. q. 147. a. 4. Canonistæ, Ru-
 brica de observatione jejunii. Summistæ *V. jejunium*.
 Et habetur Canone 68. Apostolorum. Et Synodo 6.
Can. 56. Et Divus Leo serm. 11. de Quadrages. *Ad
 dilectissimi maximum sacratissimumque jejunium
 quod observantiam sui universis fidelibus sine excep-
 tione denuntiat &c.* Ratio est; Quia finis hujus
 præcepti & jejunii Ecclesiastici est mortificatio cor-
 poris, ad id subjiciendum spiritui, & satisfaciendum
 DEO pro peccatis: at qui finis omnibus com-
 munis est: ergo & medium præscriptum jejunium
 omnibus commune esse debet: quod licet non om-
 nibus

mnibus sit æquè necessarium, est tamen omnibus valde utile, & meritorium: quia, ut inquit S. Leo loc. cit. *Nemo tam sanctus est, ut non sanctior, nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior.* Consequenter Ecclesia potuisset pro omnibus præcipere, & detacto præcepit. Sermo ergo tantum est de jejniis Ecclesiasticis communibus toti Ecclesiæ indictis; jejniis autem particularibus Diæcesis vel territorii, solummodò obligantur cives subjecti præsentés: non ipsi cives absentes, neque extranei vel advenæ, & hospitantes tantum, ut docetur in materia de legibus. Sed neque Religiosi exempti, hoc ipso, quòd exempti seu subjecti non sint: quod etiam tacitè insinuat Concilium Trid. ff. 25. c. 12. de Regular. ubi obligans Regulares ad Festa Episcopalia, nullam facit de jejniis mentionem, ut cum Suarez observat Diana cit. Sed iterum intelligo per se, & secluso scandalo, quod sanè facile intervenire potest, ut aliqui experti sunt: item secluso speciali statuto Ordinis.

§. III.

Obligantur sub mortali servare Fejunia Ecclesiastica quoad essentialia.

Nimirum quoad abstinentiam à carnibus, & 36 unicam refectionem, in quantitate tamen notabili; uti probatum est supra Sect. I. §. 2. Item quoad horam refectionis servandam, & notabiliter non perveniendam, secundum communiorem & sanctorum sententiam; sed nobis probabiliter solum sub veniali, ut diximus ibidem §. 4. Etiam quoad

quoad collatiunculam non excessivè faciendam quia esset contra voluntatem Ecclesiæ, & limitationem refectionis, adeoque mortale ex genere suo, ut §. 2. dictum. Atque ex ibidem sparsim dicitur patet ad quæstionem, quomodo, qui præceptum jejuniû transgressus in uno, adhuc teneatur, vel non teneatur, servare jejunium de reliquo. Pono tamen adhuc breves aliquot

RESOLUTIONES.

Et velut Regulas.

371. **U** *Niversaliter transgressus jejunium non tenetur adhuc servare jejunium de reliquo.* si quis ob parvitatem materiæ modicum quid comedendo extra tempus etiam paucillum carnis, vel lulum venialiter jejunium violat, secundum omnem sine dubio sub mortali tenetur deinceps servare jejunium quoad omnia substantialia. Item qui tantam refectionis notabiliter præveniendo, mortaliter, sive secundum nos venialiter, jejunium violasset, tenetur adhuc servare jejunium quoad substantialia, scilicet non tantum abstinendo à carnibus, sed etiam ab altera refectione, *sect. 1. §. 4. num. 3.* probatum est. Similiter extra Germaniam nostram, ubi jus communitate get, in Quadragesima ova vel lacticia comedendo, etsi peccasset mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, jejunium tamen totaliter & substantialiter fregisset, teneretur deinceps servare quoad substantialia, scilicet abstinentiam à carnibus, & altera refectione: quia præceptum de abstinendo ab omni

Sect. III. Qui obloentur ad jejunium. 529

& lacticiniis est quid acedentale distinctum à præcepto jejunii, cum extr. Quadragesimam sine illa abstinentia verè servetur substantia jejunii, ut docet communis DD.

II. *Econtra universaliter transgressus semel jejunium Ecclesiasticum quoad substantiam, scilicet comedendo carnes, vel secundò reficiendo, non tenetur amplius servare jejunium de cætero: cum semel fractum, iterum reficiri, & consequenter de novo servari impossibile sit (exceptâ temper abstinentiâ à carnibus distinctè, & dividuè præceptâ:)* Qui ergò secunda vice refectus jejunium fregit, non tenetur amplius jejunare, ut probatum est *Sect. I. §. 3.* tenetur tamen adhuc abstinere à carnibus. Similiter legitimè excusatus vel dispensatus ad binam refectionem, non idèo etiam excusatus vel dispensatus est ad carnes, si iis carere possit: quia præceptum abstinendi à carnibus est negativum & dividuum à jejunio: ut patet in juvenibus ante vigesimum primum, seu tertium septennium completum, qui excusantur, vel dispensantur à jejunio quoad unam refectionem; non item quoad abstinentiam à carnibus, ut pluribus patebit. *Sect. sequenti.*

III. *E converso, qui jejunium fregit comedendo carnes, etiam semel tantum, tenetur videm deinceps abstinere à carnibus, quia hoc est receptum negativum obligans pro semper, & totie, quoties sub mortali, non tamen tenetur deinceps jejunare seu abstinere ab ulteriori refectioe. Qui abstinentia à carnibus, essentialiter includitur in jejunio Ecclesiastico: adeoque comedendo carnes voluntariè*

substantialiter fregit jejunum æquè, ac si bis refecisset: ac perindè secundùm formam substantialiter refarciri ac servari nequit, ut omnes fatentur. Intellige semper, si quis culpabiliter ac voluntariè comedit carnes, adeòque formaliter fregit jejunium. Quod si verò ignoranter vel inadvertenter, adeòque inculpabiliter comedisset, manè v. g. ignorans eundem diem jejunii, quia tunc jejunium non formaliter, sed materialiter tantùm fregit, utique tenèbitur deinceps jejunare, ne simul etiàm formaliter irangat, ut probabiliùs docet *Dianacit.* etsi oppositum etiàm sit probabile: sicut de eo, qui etiàm ignoranter & inculpabiliter bis se refecisset, non teneri ampliùs jejunare, diximus *Sect. 1. §. 3. n. 4.* Est tamen aliqua dissimilitudo ratione mortificationis: ideòque prior sententia tenenda, ut tenet praxis omnium proborum.

40 IV. Utrum autem legitimè excusatus & dispensatus jam in jejunio ad comedendas carnes, hoc ipso etiàm censeatur excusatus vel dispensatus ad alteram refectioem sumendam non conveniunt DD. Absolutè affirmat communior DD. quoscitat, & sequitur *Azorius*, *Diana* sæpè cit. *tr. aff. 7. resolut. 25.* & probabiliorem censet *Filliucius sit. c. 3. quest. 4.* Ratio est: quia abstinentia à carnibus est deessentia jejunii: ergo sublata illa necessario aufertur ipsum jejunium, ut ampliùs servari secundùm formam Ecclesiæ non possit, & consequenter non debeat. Absolutè verò negant *Medina, Sotus, Nugnus*, & alii apud *Azorium* cit. eò quòd sint duo præcepta dividua, quæ seorsim servari possunt, consequenter debent. Sed placet

placet sententia media ita distinguens. Quando quis excusatus, vel dispensatus ad carnes absolute ratione debilitatis vel infirmitatis naturæ, ut ordinariè fit, censetur etiam excusatus vel dispensatus ad binam refectionem: quia ad conservationem naturæ non tantum facit quantitas, sed etiam repetitio cibi. Quando verò quis dispensatur ad carnes respectivè tantum, ut quia alii cibi esuriales nocent, vel quis ab iis abhorret, vel tempore bellorum haberi &c. non possunt, non ideo excusatus vel dispensatus censetur ad binam refectionem, sed jejunium quoad unam refectionem adhuc servare tenebitur: quia excusatio vel dispensatio non debet extendi ultra casum necessitatis, & finem suum bonum. Ita *Grassis, Toletus, Less.* alii cum *Laym. c. 3. n. 8. Filiuc. cit. c. 3. q. 4. n. 53.*

§. III.

Statis diebus.

Obligatio jejunii ita affixa est statis diebus, ut illud de uno die transferre in alterum privata autoritate nunquam liceat, quacunq; etiam ex causa. *Omnes.* Quod autem *Leo X.* Fratribus Minoribus privilegium dederit, ut itinerantes possint suum jejunium transferre in alium diem, videtur potius factum ad sedandos scrupulos, quam ex necessitate: vel enim itinerans ob itineris labores & incommoda excusatur à jejunio; & tunc non est opus dispensatione, vel translatione jejunii; vel non sunt tanti labores itineris, quin simul commodè jejunare possit; & tunc servet suum jejunium: si tamen voluerit uti hoc privilegio, u-

tatur in nomine Domini. Addit Marchant. cit. 3. dub. 4. Superiores ex causa rationabili posse translatione jejunii dispensare: quemadmodum Ecclesia anticipat jejunia Vigiliarum incidentium in Dominicam: & Episcopi jejunium Vigiliæ S. Mathiæ incidentis in Bachanalia anticipare solet in Sabbathum præcedentem.

42 II. Qui stato die jejunii non jejunavit, sive ignoranter, & involuntariè, sive scienter & voluntariè, cum vel sine peccato, non tenetur postea jejunare alio die sequenti simili jejunio non obligato (secus enim est in Quadregesima, ubi uno vel pluribus diebus non jejunans sine dubio tenetur jejunare reliquis diebus, quibus potest) *Omnino*. Ratio est: quia jejunium est onus autoritate Ecclesiæ publica stato diei alligatum: quod si non servetur, præceptum jam violatum est, ut amplius servari non possit, nec consequenter debeat. Eadem esset ratio, si quis vovisset certo die jejunare ratione ipsius diei, ut diebus Sabbathi in honorem B. Virg. in Vigilia certi S. Patroni sui, &c. adeoque dies statuta esset ad finiendam obligationem; tunc enim eo die neglecto jejunio, cessaret omninò obligatio. Alia verò est ratio, si dies statuta esset solum ad implendum votum, & non differendam obligationem: uti si quis vovisset pro quacumque die septimana ter jejunare, tunc enim, si eam septimanam neglexit, tenetur sequenti, ut latius dictum in materia de votis. Idemque dicendum, si cui in pœnitentia Sacramentali injunctum esset feriam sextam unam, vel aliquot jejunare; tunc enim jejunium

niunim imponitur principaliter non in honorem diei, sed in satisfactionem pro peccatis: adeoque dies solum statuitur ad non differendam obligationem, & ideo si stato die negligatur, alio die servandum erit: ut ex communi notat Filliuc. q. 5. n. 85.

III. Qui stato die jejunium violavit totaliter, 43
seu quoad omnia requisita, scilicet & carnes comedendo, & sapius reficiendo, sine dubio longè gravius peccat, quàm qui violat quoad unum tantum requisitum, v. g. vel tantum carnes comedendo, vel tantum reficiendo sine carnibus, vel tantum refectionem notabiliter anticipando: quia in prioricasu peccatur contra distincta præcepta, ideoque ea circumstantia seu modus in violatione jejunii necessariò exprimenda est in confessione. Similiter, qui in Quadragesima pluribus diebus jejunium violavit, numerum dierum explicare tenebitur: quia præceptum Quadragesimæ fertur supra totam Quadragesimam, & singulos dies divisim, adeò ut jejunium, cujushbet diei sit indistincto per se præcepto: ideo peccatur toties, quoties uno die non jejunatur, distincto per se peccato mortali. Quod si quis autem unico voluntatis actu statuisset totà Quadragesimà nunquam jejunare, & re ipsa nunquam jejunasset, equidem unum tantum peccatum contra committeret, sed adeò grave, ut æquivalet quadraginta numero peccatis distinctis, adeoque adhuc necessariò exprimendum in confessione, juxta dicta suò locò.

IV. Transgressio jejunii Ecclesiastici quatenus 44
talis, semper manet idem numero peccatum mortale

tale etiam si plura præcepta Ecclesiastica eodem die statuto occurrant : ut si Vigilia S. Mathiæ incidat in feriam quatuor temporum Quadragesimæ, concurrunt tria distincta præcepta Ecclesiæ : transgressio tamen menebit idem numero peccatum mortale, adeoque ea circumstantia non erit necessario confitenda. *Communis DD. in Materia de peccatis.* Quia peccata multiplicantur numero ad multiplicationem præceptorum tunc tantum, quando plura præcepta respiciunt diversas virtutes, & fines diversos, non item quando respiciunt eundem finem, eandemque virtutem : ac verò præcepta illa diversa Ecclesiæ jejunandi in Quadragesima, in quatuor temporibus, & in Vigiliis, singula respiciunt eundem finem, eandemque virtutem, scilicet abstinentiam religiosam, & mortificationem carnis propter DEUM: ergo transgressa non multiplicant peccata. Idemque dicendum de Fratre Minore, qui feriâ sextâ in Regula præcepta occurrente in Vigilia, quatuor temporibus, Quadragesimâ, non jejunaret; nimirum unum tantum peccatum committeret: ut contra plures alios bene probat noster Marchant. *Tribun. part. 1. tr. 3. tit. 3. q. 4.* nam licet Frater Minor voveat servare Regulam, non tamen vovet omnia contenta in Regula servare tanquam vota, sed eo modo, quo in Regula proponuntur: non autem omnia contenta in Regula proponuntur servanda ut vota; sed aliqua quidem ut vota, nimirum tria essentialia, *vivere in obedientia, sine proprio, & in castitate*: alia ut nudè præcepta, inter quæ est etiam præceptum jejunii feriâ sextâ,

sexta, & utriusque Quadragesimæ: alia verò ut consilia & monitiones salutares tantum: A qui jejunium in Regula eodem planè fine præcipitur Fratri Minori, quo ab Ecclesia præcipitur omni fidei; nimirum abstinentiæ & austeritatis religiosæ ad mortificationem carnis propter DEUM: ergo illa diversitas præceptorum non multiplicat peccata transgressionis jejunii. Alia verò esset ratio, si quis stato die violaret jejunium Ecclesiasticum præceptum, ad quod simul etiam teneretur ex voto speciali, ut carthusianas, vel minimus: aut ex penitentia à Confessario injuncta: tunc enim concurrerent præcepta diversa, respicientia diversos fines & virtutes: scilicet etiam Religionis & Penitentia: adeoque committeretur duplex specie, & numero peccatum eodem actu, ut que necessariò exprimendum in confessione. Idemque dicendum, si ad violationem jejunii Ecclesiastici accederet scandalum vel contemptus, tunc enim accederet nova species peccati contra Charitatem & obedientiam.

§. IV.

Neque aliis ad fragendum jejunium proxime cooperentur.

Peccant ergo mortaliter non tantum ipsi, qui statis diebus jejunium violant, sed & omnes, qui ad violandum jejunium aliis proxime cooperantur, inducunt, aut cum possint, & debeant, non impediunt: utpotè. I. Patres & Matres Familiæ, Domini, Superiores, die jejunii sus domesticis carnem, vel carnes ministrantes sine causa excusante:

aut absque necessitate sic laborare cogentes, ut jejunium servare nequeant: item suos ad jejunium servandum non compellentes, vel impediētes &c. *Communis.* II. Quisquis alius obligatum ad jejunium, invitat ad cœnandum vel cibos vetitos comedendum, etiamsi is alioquin jejunium frangere paratus sit. *Communissima DD.* Ratio est: quia licet talis non sit causa mali propositi, est tamen causa ipsius mali actus, ut hic & nunc fit, qui non invitante, potuisset etiam non fieri. Quamquam à mortali excusanteum, qui certò sciens alium violaturum jejunium alibi, ipsum solum urbanitatis vel amicitiae gratia invitat, ut apud se comedat. *Filliuc. c. 3. q. 7. n. 94. Diana part. 3. tract. 5. resolut. 3.* III. Caupones seu Cauponarii in locis Catholicis ministrantes carnes vel cœnam iis, quos sciunt à jejunio non excusari, & quando sine suo gravi incommodo, & spe fructus reculare possent. Ita *Tolet. l. 6. cap. 5. Less. l. 4. c. 2. dub. 4.* alii passim. Excusantur autem à peccato, si cœnam vel cibos vetitos ministrant ei, quem credunt à jejunio excusatum, ut verè sunt itinerantes: item cum sine gravi incommodo recusare non possunt, ut si caupo ideo esset ab hospitibus deserendus: Item in locis permixtis hæreticis, ubi communia jejunia non servantur, & hospites petunt; neque tunc tenetur caupo ex eis requirere, cujus Fidei sint. *Communis DD. Filliuc. Diana cit. IV.* similiter famuli, ancillæ, coqui, dominis suis eorum jussu cœnam, vel carnes coquentes, ministrantesque excusantur à peccato secundum communio-

rem

rem sententiam, apud Dianam par. 5. tract. 7. resol. 13. Quia nimirum solum materialiter concurrunt ad peccatum, exhibendo materiam de se indifferentem, idque ex officio, quod Dominis præstare solent; & si ipsi nollent, infallibiliter fieret ab aliis: ergo non possunt censerì vera causa cooperans ad peccatum, nec consequenter peccare: idque maximè cum justam habent causam necessitatis, vel utilitatis perseverandi in tali servitio.

SECTIO IV.

Quænam sint causæ excusantes à Jejunio.

SUMMARIUM.

46. *Causæ à jejunio excusantes particulatim sunt quatuor. 1. ætas. 2. infirmitas. 3. labor. & pietas.*
47. *Ratione ætatis excusantur quoad secundam refectio- nem tantum, non quoad carnes à jejunio Ecclesiastico. I. Omnes ante completum annum 21.*
49. *Non tamen ab aliis jejniis ex voto, Professione, vel Pæ- nitentia debitis.*
50. *Item II. Senes omnes post annum 60. completum, non tantum à jejunio Ecclesiastico quoad secundam refe- ctionem; sed*
51. *Probabiliter etiam ab aliis jejniis ex voto vel Profes- sione debitis*
52. *Vsq̄ ad n. 57. Quando, qualiter, & quinam excu- sentur ratione infirmitatis? item*
57. *Vsq̄ ad n. 62. Quando, qualiter, & quinam excusen- tur ratione laboris?*
62. *Vsq̄ ad n. 69. Quando, qualiter, & quos excuset pietas?*

L l s

Re

Regula Generalis.

46 **O**mnis & sola vera necessitas, seu impotentia moralis excusat à præcepto jejunii Ecclesiastici, pro modo necessitatis, aut ad binam refectionem tantum: aut etiam ad comedendas carnes: ut cum alii cibi esuriales haberi nequeunt, vel ratione temporum, vel ratione locorum inter hereticos. v. g. &c. In particulari autem quatuor communiter allignantur causæ excusantes à jejunio: *etas; infirmitas; labor; & pietas.* Ratio generalis est: quia Ecclesia pia Mater suis legibus & præceptis non intendit obligare fideles cum magno suo gravamine & incommodo: magnum autem gravamen & incommodum adeoque moralem impotentiam seu necessitatem non jejunandi communiter adferunt illa quatuor *etas, infirmitas, labor, & pietas:* ergo &c. Nunc explico sigillatim.

S. I.

Ætas.

47 **P**rima causa excusans à jejunio, sed quoad binam refectionem tantum, non autem quoad comedendas carnes, est *Ætas* minor tertiò septenniò viginti unius, & major nonò septenniò, seu sexaginta annorum. Itaque

48 **I.** Adolescentes minores tertiò septenniò, id est, ante vigesimum primum ætatis annum completum, à jejunio Ecclesiastico excusantur, ut sapienter reficere possint, abstinendo tamen à carnibus, nisi alia causa excusans accedat. *Sic omnes Theologi, Canonista, & Sumista cum D. Thoma sapè cit. dist.*

147

147. Ratio est, quia juvenes tunc sunt in via aug-
 menti & crescentis corporis, ideò frequentiori &
 abundantiori alimento indigent: & ideò Ecclesia
 pia Mater indulget, ut non obligarentur præcepto
 Ecclesiæ. Et quidem hi excusantur absolutè etiam
 si ante dictum terminum impletum, scilicet vige-
 simum primum annum, essent satis robusti & po-
 tentes sufferre jejunium. Quia ordinariè censentur
 esse inhabiles ob dictam rationem; ut contra
 Durandum docet *communis D.D.* Et excusantur
 usque ad vigesimum primum annum mathematicè
 completum; quia favores non debent restringi, sed
 ampliari. Unde Juvenis ætatis annum vigesimum
 primum complens in ipso die jejunii, etiam summo
 manè, manet tamen exceptus illo die, quia præcep-
 tum respicit totum diem, ut advertit Sanch. *l. 7. de
 mar. disp. 17. cum aliis.* Econtra autem si juvenis
 compleat vigesimum primum in media Quadrage-
 sima, sequentibus diebus, etiam si unus tantum dies
 superesset, quia jam pervenit ad debitam ætatem, &
 præceptum Ecclesiæ obligat pro singulis diebus
 Quadragesimæ divisim, ut rectè observat Filliuc.

6. 4. 9. 4.

II. Excusantur autem Juvenes prædicti à jeju-49
 nio Ecclesiastico seu ab Ecclesiæ præcepto tantum
 (Idemque est de jejuniis particularibus Diocesis
 ex lege, consuetudine, vel voto communitatis in-
 ductis) non autem excusantur ab aliis jejuniis, ad
 quæ aliundè obligantur secluso præcepto Ecclesia-
 stico; utpote ex proprio voto, vel professione Re-
 gulæ, ut Juvenes in ordine Fratrum Minorum à
 die

die professionis obligantur ad jejunia Regulæ, ut observant *omnes DD. communiter*. Ratio est. Quia Ecclesia pia Mater connivens adolescentibus, non intendit eos obligare ea ætate, cum tanto eorum gravamine, cui indulgentiæ & quasi privilegio suo juvenis jejunium vovens, aut emittens professionem Regulæ ad jejunia obligantis voluntariè cedit, adeoque voto suo & obligatione Regulæ professæ obligatus manet. Similiter si Confessarius post annos pubertatis, præsertim ad petulantiam carnis compescendam in Sacramento Pœnitentiæ jejunium injungat, tenebitur is sub Præcepto implere. Item ex suppositione, quòd si ejusmodi juvenis vellet acquirere indulgentias Jubilæi alicujus, utique tenebitur implere jejunia in forma Jubilæi præscripta, ut observat *Filliuc. cit.*

50 III. Senes majores decimò septenniò : hoc est, septuaginta annorum, secundum antiquos, communiter, aut nono septennio, hoc est, sexaginta duobus, secundum alios, imò absolutè sexaginta annorum completorum, secundum communem jam DD. sententiam excusantur à jejunio. *Navar. c. 21. n. 16. Tolet. l. 6. c. 4. Sanchez citat. l. 3. n. 1. Diana & Marchant. cit.* Ratio est : quia juxta Psalmum 89. *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni* : cum ergò anno sexagesimo jam incipiat denarius ultimus ætatis, & vitæ communiter humanæ, eo anno censetur jam incipere vel incepisse vera senectus : senectus autem ipsa est morbus, ac morborum omnium & infirmitatum congeries : ut natura tunc deficiens necessariò cor-
robo-

roboranda sit modicâ quidem & crebrâ refectione. Caterum lenes post sexagesimum ætatis annum completum, etiam excusari à jejunio absolute, ita ut etiam si quis post sexagesimum, imò septuagesimum ætatis annum satis adhuc firmo corpore existens, jejunii difficultatem facile perferre possit (quales sæpe reperiuntur senes: nam & *Navarus* de seipso restatur, quòd 80. annorum tam facile jejunet) nihilominus tamen jam excusetur à jejunio: ita affirmat probabilius satis tuta, & à me hactenus in Confessionali practica Sententia. Sanchez cit. t. 2. l. 7. de mat. disp. 32. n. 17. Angles de jejunio q. 6. dub. 6. Suarez & alii apud Dianam part. 1. tract. 9. resol. 20. Marchant. cit. q. 4. §. 1. addens hanc ætatem esse declaratam à Pio V. vivæ vocis oraculo. Et in Bullis Cruciatæ prohibens Regulares ab earum privilegio, quoad usum ovorum & lactiniorum in Quadragesima, excepit sexagenarios, quos declaravit ad jejunium non teneri: ut sub asseveratione infallibili tanquam testis occultatus refert Hieron. Lmas. p. 3. methodi c. 5. §. 20. addens *Gratias Deo, quòd regula deinceps certa à summo Ecclesie Pastore decreta.* Ratio est: quia generatim expedit legis obligationem ita definitam esse, ut sciatur, quinam eâ comprehendantur, vel non: ne ex una parte facile humana negligentia, ex altera verò nimia sollicitudo & anxietas oriatur: ergò sicut Juvenibus certa ætas definita est, ante quam jejunii lege non obligantur, ita etiam sanè senibus definienda erat, ultra quam non obligantur, idque sanè potiori ratione, cum majus sit periculum deficien-

ficien-

ficientiæ in senectute, quàm juventute: ætas autem illa rectissimè definitur 60. annorum: nam ejusmodi robur senum est illusivum & ambiguum, & crebra sustentatione indiget, nec est expectandum ulterius, ne omninò deficiat. Nec obstat, quòd aliqui ultra eam ætatem robusti & ad jejunia habiles reperiantur, quia Ecclesia pia Mater intendit obligare secundùm communem cursum roboris & deficientiæ humanæ. Nihilominus negare non possum, æquè probabilem & magis piam, & tutam esse oppositam sententiam negativam, nimirum senem ultra dictam ætatem satis robusto corpore existentem, non excusari adhuc à jejuniis. *Navar. Cajetan. Solet. Syl. Azor, uterque Medina. Valent. Less. Laym.* alii apud *Dianam* citatum, nullam rationem firmam adferunt præter disparitatem inter juvenes & senes. Itaque priori sententiæ adhærens securè maneo.

§ I IV. Senes ultra sexagenarios non tantùm excusari à jejuniis Ecclesiasticis, sed etiam à jejuniis debitis ex voto, ut si vovisset toto tempore vitæ suæ jejunare feriâ sextâ, & post sexagesimum annum adhuc satis valens esset ad jejunium, docet quidem *Sanch. l. 4. moral. c. II. num. 54.* eò quòd votum obliget instar legis Ecclesiastici de jejuniis: Lex autem Ecclesiastica non obligat sexagenarios ad jejunium: ergo nec votum. Sed rectè refutat *Laym. cit. c. 3. n. 2.* Quis licet votum jejunii obliget instar Legis Ecclesiasticæ, quoad modum, & formam jejunii, non tamen quoad personas & durationem: nam personæ, quæ pro tali tempore

non obligantur jejunio, possunt se sine dubio ad jejunium obligare voto voluntario: ut patet in juvenibus saltem post annum pubertatis: ergo etiam senex post annum sexagesimum manebit obligatus suo voto jejunandi perpetuo sextâ feriâ,posito quòd satis robustus sit ad jejunandum, esto eo tempore Lege Ecclesiastica jejunii non obligaretur. Cæterum idem videbatur dicendum de senibus ultra sexagenariis, si adhuc sint sufficientis valetudinis ad jejunandum. Attamen universim omnes senes sexagenarios à jejuniis regularibus excusat ipsemet Marchant. *cit. tr. 12. tit. 3. q. 4. §. 1.* consentit Diana *p. 9. tract. 6. resol. 16.* Ratio est, quia jejunia regularia, ut supra dictum est, non sunt vota, sed præcisè præcepta Regulæ ad modum aliorum præceptorum Ecclesiæ obligantia, & ob eandem causa dispensabilia. Cùm ergo Pontifex absolute declaraverit, sexagenarios ad jejunium non obligari ad communem naturæ deficientem, eademque sit ratio deficientiæ senum in sæculo & in Religione, eadem quoque erit ratio excusationis. Inter juvenes autem & senes ea est disparitas: quia juvenis manens in sæculo excusatur à jejunio, non ratione infirmitatis vel deficientiæ, sicut senex, sed ex mera indulgentia Ecclesiæ indulgentis binas refectiones propter naturæ incrementum. Et hinc voluntariè emittens professionem Regulæ obligantis ad jejunia, sponte renuntiat suæ libertati, & indulgentiæ concessæ ad non jejunandum, maneat ergo obligatus: at senex sexagenarius non potest ita renuntiare infirmitati & deficientiæ imminenti

ti naturæ suæ, ut patet: maneat ergò cum cæteris excusatus. Vide latius *Marchant. & Dianam cit.* Probabilis opinio: non tamen ita consulenda senibus satis valentibus: nec à viginti annis ab ullo videri practitari, nisi aliunde excusentur ratione infirmitatis, adeoque non tam senectutis vel ætatis, quam sequentis.

§. II.

Infirmitas.

§² **S**ecunda causa excusans à jejuniis Ecclesiastico in toto, vel in parte proportionaliter est *infirmitas*, qua excusantur omnes defacto ægroti, & à morbo primùm convalescentes, idque pro modo infirmitatis, debilitatis naturæ, vel exigentiæ morbi, aut ad solam iteratam refectionem, aut etiam ad carnes, vel alios cibos vetitos juxta consilium prudentis & conscientiosi Medici, aut alterius boni viri, aut evidentiam ipsius necessitatis, in quo omnes conveniunt: quia Ecclesia dicta lege jejunii intendit solam mortificationem carnis rebellis, non oppressionem, vel destructionem naturæ.

§³ Cæterum infirmis excusatis à lege jejunii adnumerandi sunt: I. qui infirma admodum sunt complexionem, debili stomacho laborant, ut jejunium in toto, vel in parte tolerare nequeant: quive ob jejunium molesta insomnia patiuntur, ut notat

§⁴ *Laym. cit. n. 3. II. Prægnantes, seu lactantes, seu nutriendes parvulos; quia indigent pleniori cibo pro se simul, ac foetu vel prole sua, juxta communem Doctorum apud Azorium l. 7. c. 15. q. 6. Illiuc. cit. q. 5. Laym. n. 3. Diana cit. alii passim.*

Solent

Solent enim sæpe appetere aliqua, quæ si negentur, periculum proli imminet, adeoque etiam vetita die jejunii permitti poterunt, teste Filiuc. cit. n. 114. III. Pauperes & mendici ostiatim mendicantes, & quicumque non habent, quo semel sufficienter reficiantur, excusantur utique à lege jejunii, quoad unum refectionem; *quia bis malè comediſſe, ſufficienter eſt jejunãſſe*, ait germanicum proverbium: quòd ſi nihil aliud occurrat ſedandæ fami, etiam ad carnes diſpensabit neceſſitas, quæ non habet legem, ſecundùm omnes. Diana cum aliis p. 10. tract. 14. reſol. 59. putat, quòd ſi pauperes homines ruſtici, vel alii pani aſſueti habeant ſufficientem panem ad ſuſtentandam naturam, eos non excuſari ad comedendas carnes: ſecùs dicendum de Magnatibus, aliisque hominibus delicatis, qui ſolo pane vitam alere non aſſueverunt. IV. Laborantes & famulantes in oppidis hæreticorum in diebus jejuniorum poſſunt etiam carnibus veſci, quamdiu rationabilem quampiam cauſam habent in illis locis perſeuerandi, dummodò curent ſcandalum impedire: ſi v. g. dicant: ſe in tali caſu neceſſitatis, cùm alià cibi non ſuppetant, Eccleſiæ præcepto non obligari: uti notat *Laym. cit. num. 3.* addens ad majorem ſecuritatem Societatem à ſummo Pontifice privilegium accepiſſe, quoad hoc in his partibus, diſpenſanti: quod per communicationem etiam aliis Religioſis Mendicantibus commune eſt. Addit iterum tolerari apud nos conſuetudinem, ut finitis diebus Bachanaliorum carniùm reliquiæ à di-

tioribus dentur pauperibus absumentæ. Addo ego; utinam divites hanc consuetudinem servarent, ut non ipsi carnes reliquas, etiam studio copiosius in bachanalibus præparatas, in Quadragesima devorarent, ut experimur Confessarii.

§. III.

Labor.

177 **T**ertia causa excusans à jejuniis Ecclesiastico vel quolibet alio, sed regulariter tantum ex parte, iterandam scilicet refectionem, est labor, si que gravis, corporalis vel spiritualis: necessarius vel utilis, debitus, indebitus; imò etiam inutilis, vel illicitus, tamen semel factus, à jejuniis excusatur.

178 I. Labor gravis & fatigativus seu debilitativus virium, ut cum jejuniis commodè exerceri vel consistere non possit. Cujusmodi secundum omnes, est labor fabricorum ferrariorum, lignariorum &c. sutorum, textorum, & similium laboriosorum opificiorum. Item labor omnium agriculturalium, seu operarum ruralium exercentium: item labor vehementior, & diuturnus famulorum & famularum, præsertim, ut tota die in publica caupona ministrare, coquinam, cellariam agere, quorum omnium diuturna fatigatio non facile consistit cum jejuniis, ut ab Ecclesia pia Matre excusati haberi censeatur. Item cursores, & omnes iter agentes laboriosè & cum fatigatione, sive deinde pedites, sive equo, sive curtu. Quamvis enim Doctores communiter, cum de iter agentibus agunt, solos pedites à jejuniis excusant.

culatos censeant, rectè tamen monent Recentiores, ut Filliuc. cit. c. 6. q. 8. Laym. cit. c. 3. n. 4. Marchant. cit. q. 4. §. 4. interdum equo vel curru itinerantes pro ratione circumstantiarum, personæ, viæ, & temporis, tantum fatigari, quantum alius pedes itinerans, & è contra. Neque etiam ex longitudine viæ certa regula statui potest, cum pro diversitate circumstantiarum personæ, viæ, auræ, aliqui duabus horis peditantes magis fatigentur, deficient, & restauratione alimenti egeant, quàm alius quatuor vel sex horis ambulans. Quare ait Laym. cit. in hac re certa regula tradi non potest, nisi quam sapius dedi: Ecclesiasticam legem nunquam per se obligare cum magna difficultate & incommodo. Marchant. cit. hanc commodam assignat regulam. *Quandocunque iter ita hominem alterat, ut absque aliquo detrimento suo, vel negotii rationabilis, pro quo vadit, jejunium servare non possit commode, excusari a jejunio.* Una ergo generalis mensura excusationis à jejunio, in quovis labore, vel itinere, est *fatigatio, vel deficientia naturæ reficientiam postulantis*, in quo sibi ipsi quis bonus sit sincerus arbiter, aut si non possit, credat bono viro. Ait rectè Marchant. Ratione ergo laboris non excusantur à jejunio opifices, & artifices, quorum opera quiescunt, nec multum fatigant corpus, ut pictores, lartores, sericorum textores, uti notant Less. cit. c. 2. n. 43. Laym. cit. n. 3.

II. Labor gravis excusat, sive corporalis sit, ut in dictis exemplis, sive etiam spiritualis & ingenii, ut in continuo studio vacantibus Concionatoribus,

Professoribus: sæpe enim labor spiritualis excedit corporalem. Etsi enim labor corporalis fatigat corpus magis consumat spiritus vitales, labor spiritualis magis consumit spiritus animales qui magis ad vitam & valetudinem corporis sunt necessarii. Unde corporali labore vacantes, vegetiores sunt, quam qui continuis studiis occupantur. Unde Concionatores integræ Quadragesimæ simpliciter excusantur à jejunio. Itém

Professores, quorum labor improbus est, & complexio debilis, uti ex communi notant Cajet. q. 14. a. 3. Bonac. de legibus disp. ult. q. un. Laym. n. 4. Diana p. I. tract. 9. resol. 10.

60 III. Labor gravis excusat, corporalis, & spiritualis sive debitus sit ex officio, sive non debitus sive pro mercede fiat, sive gratis, sive necessarius sit, sive utilis, utpote ad bonum commune corporale, sive ad bonum privatum, utpote ad suam, sive que familiæ sustentationem, ad lucrum honestum capiendum &c. dummodò eatenus necessarius vel utilis sit, ut commodè non patiatur jejunium ab aliquo detrimento personæ, operis, rei domesticæ, boni communis, vel alicujus tertii, in cuius gratiam laboratur. Quia Ecclesia non intendit lege obligare cum tali aliquo detrimento, vel incommodo. Communis. Laym. cit. n. 4. Marchant. cit. q. 4. §. 3.

61 IV. Quin etiam etsi labor gravis & fatigans, sed omninò non necessarius, nec utilis, sed omninò inutilis, ut lusus pilæ, palestræ gladiatoriae aut etiam illicitus, & inhonestus: adeoque ex-

gens talem laborem peccat non tantum in illo genere peccati, sed etiam contra præceptum jejunii, si nimirum taliter laborans prævideret, se impotentem futurum ad jejunandum, & maxime si faceret in fraudem jejunii, nimirum directè intendens, se tali labore ad jejunandum impotentem reddere, postquam tamen ejusmodi labore exercito verè fatigatus, & ad jejunium sufferendum moraliter impotens factus est, manet à jejunio excusatus, ut non peccet amplius non jejunando. Quia tunc revera sufficiens causa excusationis jejunii adest, scilicet defatigatio, quam vis ex alia mala causa processerit: uti cum Palud. Medina, & aliis docent Laym. tit. 6. 3. n. 5. Diana p. 1. tract. 9. resolut. 40.

§. IV.

Pietas.

Quarta causa excusans à jejunio Ecclesiastico, sed regulariter etiam quoad iteratam refectio- nem tantum, est *Pietas*: ut nimirum quis operi præstantioris virtutis, & majoris momenti incumbere possit, quod cum jejunio non facile consistit, nec commodè differi posset. *Communis omnium.* Ratio est: quia jejunium præcipitur, ut promotivum ad bonum, & non ut impeditivum majoris boni, & mens Ecclesiæ est, ita jejunium præcipere, ut tamen alia pietatis exercitia, quæ pro tempore & loco occurrunt, non impediant: ergo. Hujusmodi autem opera pietatis à jejunio excusantia sunt. *Primo* opera misericordiæ corporalia, & 63 spiritualia propter quæ commodius exercenda ex-

cusantur Concionatores, Lectores, Ludimagistri, Confessarii, Cantores, &c. si suum officium agere nequeant cum jejunio, etsi ejusmodi propter mercedem fierent. Cajet. Less. Navar. Filliuc. Laym. cit.

64 *Secundò*, opera justitiæ: ut si maritus jejunans uxori conjugii debitum reddere non possit, quia infirma complexione est, excusatur, ut notant Cajet. & Sa. Tollet. l. 6. c. 4. Less. cit. num. 44. Filliuc. cit. c. 6. q. 7. Laym. c. 3. n. 4. Sanch. l. 9. de *matrim. dispnt.* 3. n. 10. addens eo casu etiam obligari maritum ad solvendum jejunium, si intelligatur uxorem debitum instanter exacturam, aut si negatur, incontinentiæ periculum subituram.

65 *Tertiò*, opera Charitatis: ut si uxor mariti iram & contentionem effugere non possit, nisi cum ipso cœnet; modò jejunium non prohibeat ob Religionis contemptum, sed aliam ob causam. Cajet. & Syl. Navar. c. 21. n. 19. Medina, Less. Filliuc.

66 Laym. cit. num. 4. *Quartò* opera Religionis, & devotionis, sic peregrinationem longinquam licet inchorare & continuare, etsi per accidens dies jejunii intercurrat, quod ob defatigationem servari non posset, secundum omnes. Quia etiam eodem die jejunii non servandi liceret instituere peregrinationem, si videatur valde utilis ad cultum divinum, & ædificationem populi, ut notat Cajet. cit. aut si peregrinatio debeat ex voto, vel pœnitentiæ a Confessario injuncta, & alioquin jejunii die commodè institui, atque cum jejunio impleri non possit: uti observat Navar. cit. c. 21. n. 18. Ceterò peregrinationem omninò liberam, neque mul.

multum utilem non esse sufficientem causam solvendi jejunium, ex communi DD. rectè docent *Cajet. Navar. Fillinc. Laym.citt.* Nam opus jejunii ferè salubrius est animæ, quàm ejusmodi peregrinatio voluntaria: & Ecclesiæ præcepto satisfacere ad obedientiæ virtutem pertinet, adeoque melius opus est, quàm voluntaria peregrinatio. Ubi iterum observa, quamvis illicitum sit ejusmodi peregrinationem instituere die jejunii, quod commodè servari non posse prævidetur, postquam tamen jam cœpta peregrinatione verè fatigatus es, ac refectioe indigeas, excusatus manebis à jejunio: ut supra de labore dictum est. Hæ omnes causæ, & similes excusant à lege jejunii per rationabilem epikiam, & per benignam interpretationem mentis S. Ecclesiæ. Adeò, ut, si de ejusmodi causa existente certò constet, nulla opus sit dispensatione vel recurso ad Superiorem. In dubio autem justæ causæ ad Prælatum recurrendum est pro dispensatione, qui in universa Ecclesia est Pontifex, in Diocœsi Episcopus, in ejus absentia Parochus in sua Parochia, in Religionibus Superior localis, ut dicitur in materia de Epikiis. Ultimo hîc monenda sunt aliqua.

Unum ex *Toleto l. 6. c. 4. Navar. c. 21. n. 20. 67* Syl. & *Cajetano. Laym.c. 3. num. 6.* Tametsi ex prædictis causis excusantibus, re ipsa nulla adsit, si tamen bona fide & probabili ratione adesse existimetur, & ideo aliquis non jejunet, vel in collatione quantitatem excedat, non debet peccati saltem mortalis condemnari, moralia enim præcepta moraliter sunt interpretanda, neque mens Ecclesiæ

est, grave jugum conscientis fidelium iniectum
 Alterum: in dubio Prælatos in dispensando non
 debere esse scrupulosos & difficiles ob eandem ra-
 tionem. Sanch. l. 8. de matr. disp. 2. Laym. cit.
 683. in fine. Ultimum: Confessarii poenitentes, non
 nimis urgeant, si rationem vel causam sibi valde
 probabilem afferant, ac non jejurent, vel in Quo-
 dragesima tantum bis vel ter in septimana jejurent,
 ne alioquin vel omnino non jejurent; vel ob con-
 scientiam non jejunando gravius peccent, qui alio-
 quin sine culpa saltem mortali fuissent. Cajet. de
 jejunium. Quoad tertium Laym. cit. n. 6. qui re-
 dit à Pio IV. concessum esse privilegium Societati
 JESU ad dispensandum cum iis in his partibus, quæ
 ad jejunium totâ Quadragesimâ adduci non possunt,
 ut nimirum aliquoties saltem ter in septimana
 jejunare sufficiat. Hæc de jejunio dicta sufficiant
 ad honorem Christi, qui Quadraginta diebus &
 noctibus jejunavit in deserto.

CAPUT V.
IN QUARTUM PRÆCEPTUM
DECALOGI.

De Obligatione Pietatis, & obli-
vantiæ erga MAJORES.

Absolutis tandem DEI Gratiâ tribus prioribus
 Decalogi Præceptis, quæ dicuntur primæ Ta-
 bulæ, & ordinant hominem ad Deum in Sanctitate